

HARVARD UNIVERSITY
ARNOLD ARBORETUM
PRESENTED BY CHARLES SPRAGUE SARGENT
1892



Rosa aciphylla.

I. Sturm pinx.

ENUMERATIO

ROSARUM CIRCA WIRCEBURGUM ET PAGOS ADJACENTES SPONTE CRESCENTIUM,

CUM

EARUM DEFINITIONIBUS, DESCRIPTIONIBUS ET SYNONYMIS,

SECUNDUM

NOVAM METHODUM DISPOSITA ET SPECIEBUS VARIETATIBUSQUE NOVIS AUCTA.

AUCTORE

AMBROSIO RAU,

PHILOS. DOCT. HISTORIAE NATURALIS SCIENTIARUMQUE OECONOM. IN REGIO-BAVARICA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI PROF. PUBL. ORD., CAES. ACAD. NAT. CURIOS. ERLANG. SODAL.

CUM TABULA AENEA PICTA.

NORIMBERGAE.

SUMPTIBUS CAROLI FELSSECKER.

MDCCCXVI.

PRAENOBILI

PERILLUSTRI, PLURIMUM REVERENDO ET DOCTISSIMO

DOMINO D. DOCTORI

NEES AB ESENBECK

DE HISTORIA NATURALI OPTIME MERITO,

AMICO SUO DILECTISSIMO.

Explicatio
tabulae aeneae pictae.

a) Ramus rosae aciphyllae, magnitudine omnium partium diminuta.

b) Ramulus floriferus, magnitudine pari modo diminuta.

c) Flos naturali magnitudine.

d) Foliolum magnitudine aucta.

e) Duabus hisce lineolis determinantur fines, intra quos naturalis foliolorum rosae aciphyllae magnitudo variat.

ta:

a) Ramus ... partium ...

b) Ramulus ... muta.

c) Flos ...

d) Foliolum ...

e) Duabus ... eius ...

in duos p
, breviore
ione secu
gulus, ca
continuat
ulo inferi
ione seco
a, uniflo
crassi
ive co
ius et
raro
a se
enti
sep
pli
plices
nusve
elonge
n floribus
o positi
enim si
a late


HARVARD
UNIVERSITY
ARNOLD
ARBORETUM
PRESENTED - BY - CHARLES - SPRAGUE - SARGENT
1892

collatione eruere student, quatenus variae definitiones congruant, quatenus differant. Demum hoc modo iidem ad studium botanices criticum, a multis hac nostra aetate non sine damno scientiae neglectum, praeparari possunt.

Caracteres, qui praeter definitionem ad dignoscendas species praecipue idonei mihi videbantur, quo magis ad dirigendam attentionem in descriptione elucerent, litteris distantioribus distinquebantur.

Littera R speciei aut varietatis cujusdam nomini apposita, hanc a me primo distinctam et nominatam esse indicat.

Dabam Wirceburgi die 2da Martii 1816.

Auctor.

De rosarum natura.

Rosarum truncus semper fruticosus, nisi cultura formam arboream induere cogatur *). Rami alterni; omnes, saltem juniores, aculeis plus minusve validis, plerumque recurvis, rarius rectiusculis, rarissime rectis, inaequalibus armati. Frutices juniores non raro frequentioribus horrent aculeis, quos aetate vel omnes vel pro parte deponunt, et dein caules ramique cicatrisati vel aculeorum vesti-

*) In Persia quidem rosa caule arboreo ideoque arborea nominata (Persoon synopsis plantarum 2. p. 50. n. 45.) crescere dicitur, sed hujus plantae natura nondum tam cognita est, ut crescendi legem, cui rosarum genus hucusque sine exceptione subjectum observavimus, aliam esse persuadere mihi possim.

giis obsiti et quasi verrucosi apparent. Aculei aut omni carent ordine determinando (sparsi), aut ad petiolorum et ramulorum basin positi sunt (stipulares). Nonnunquam praeter aculeos stipulares in eodem ramo reperiuntur aliquot aculei a stipularibus remoti, ita tamen, ut in petiolorum baseos vicinitatem niti videantur, i. e. aculei nonnunquam substipulares. Eandem ramorum caulisve altitudinem aut unicus duntaxat aculeus (aculei solitarii), aut duo (aculei gemini) aut plures, saepius per paria approximati, occupant. Aculei gemini sunt saepius sibi oppositi. Aliae Rosae distinquuntur aculeis confertis, aliae raris.

Folia rosarum alterna, et si exceperis rosam berberifoliam, quae in Persia boreali crescit, *) semper impari-pinnata, foliolo impari longe petiolato, reliquis petiolatis vel sessilibus. Foliola plerum-

*) Linn. spec. plant. ed. Willd. 2. p. 1063.

que terna, quina, septena, rarius novena, et undena. Numerus et magnitudo foliolorum variant in eodem frutice; ad ramorum basin et apicem foliola fere semper terna, in medio quina septenaque, ita, ut foliolorum numerus a basi ramorum ad medium usque crescat, et a medio usque ad apicem decrescat. Foliolorum magnitudo ab apice petioli communis versus illius basin minuitur, ita, ut foliolorum impar maximum sit, jugum foliolorum infimum e minimis consistat.

Quod formam foliolorum attinet, plurimae species sibi simillimae sunt, omnesque formae derivari possunt a forma ovali, quae in aliis magis minusve acuminata, acuta vel obtusa, in aliis magis minusve elongata vel contracta est, unde oriuntur foliola ovata, elliptica, oblonga, lanceolata aliaeque formae. Quo magis diversarum specierum foliolorum forma congruit, eo magis diversa est in una

eademque planta. Nullam fere rosam, saltem nullam Germaniae indigenam invenies, cujus foliola omnia quoad formam plane conveniant. Potius foliola ovata cum ovalibus, ellipticis, obovatis et subrotundis in eadem planta nonnunquam observantur. Inferiora plerumque non solum minora sed etiam obtusiora et basi magis attenuata, quam superiora. Qua re foliolorum formae determinatio non parum difficilis redditur, eamque ob causam eam determinans frequentiorem formam et superiora, floribus propiora, folia secutus sum.

Foliola simpliciter-duplicato-vel triplicato-serrata: serraturis vel ciliatis vel glandulis stipitatis sessilibusve terminatis vel nudis; supra fere semper viridia, subtus eodem (foliola concolora), saepius vero alio colore (quo supra tincta, foliola discolora), rarissime glaucorubra. Color viridis interdum ob foliola villosa

vel tomentosa non facile cognoscendus. Glandulae in pagina foliolorum superiore nunquam observantur, eo frequentius vero in serraturis et pagina inferiore, cujus nervus primarius, rarissime subtus aculeolatus, vel solus vel simul cum venis glandulis obsitus est.

Petioli plerumque glandulis stipitatis sessilibusve praediti (petioli glandulosi), quae rarius desunt (petioli eglandulosi), saepius minore vel majore pilorum copia obsessi, (petioli pubescentes, villosi, tomentosi), interdum pilis omnino carent (petioli glabri). Prona petiolorum pagina saepissime aculeis armata, rarius inermis; nonnunquam in eadem planta alii petioli uno alterove aculeolo muniti, alii inermes inveniuntur, i. e. petioli nonnunquam subinermes. Basi semper connati sunt stipulis duabus, quae a foliolis quidem quoad formam differunt, quoad caeteras vero notas cum iis satis congruunt. Stipulae

saepissime glanduloso-serrulatae, imo tunc, si foliolis serraturae glandulosae desunt, raro integerrimae.

Flores caulem vel ramulos terminant. Quodsi caulis ramulusve floriferus non dividitur, unicus duntaxat flos in apice provenit, et tunc pedunculus caulem ramulumve continuat, ita, ut ejus initium cognosci non posset, nisi natura ad ejus basin bracteam vel folium, quod bracteae vices gerit, posuisset, (flores solitarii). Contra vero si caulis ramulusve floriferus semel dividitur, tum duo prodeunt pedunculi, uniflori, quorum alter caulem ramulumve continuat, alter, paulo remotior a prioris basi, directionem caulis ramulive relinquit, (flores bini sive gemini). Saepius caulis ramulusve floriferus dividitur in duos ramulos, quorum alter inferior, simplex, longior, uniflorus; alter vero, postquam caulem ramulumve floriferum per spatium minus majusve

continuavit, iterum dividitur in duos pedunculos simplices, unifloros, breviores. Alter pedunculus, hac divisione secundaria ortus, crassior, quadrangulus, caulem ramulumve floriferum continuans, superiorem locum; alter paululo inferiorem locum occupat. Sic divisione secundaria oriuntur tres pedunculi, uniflori, in quorum medio pedunculus crassior, quadrangulus, caulem ramulumve continuans positus est, ideoque medius et reliqui laterales nominantur. Non raro ramificatio pedunculorum lateralium secundum eandem legem dichotomiae continuatur, et inde prodeunt quinque, septem, pluresque pedunculi simplices uniflori. Pedunculi inferiores, sive simplices sive divisi, a superioribus plus minusve remoti sunt, semper tamen ita elongati, ut flores, quos ferunt, cum floribus superioribus in eodem plano positi sint, excepto medio; hic enim a lateralibus

magnitudine semper superatur. Quo longius dichotomia continuatur, eo confertiores pedunculi, his divisionibus orti, donec demum fere ex uno eodemque puncto oriri videantur. Unde fit, ut inflorescentia, si pedunculi omnes simplices ex uno eodemque puncto oriri videntur, faciem umbellae; si paululo distantiores, faciem corymbi prae se ferant. Quodsi demum plures pedunculi longissimi superne corymbosi adsunt, tunc inflorescentia cymae similis evadit. Sensu stricto nec umbella, nec corymbus nec cyma adest.

Secundum eundem crescendi modum, quo fit, ut ad basin cujusvis ramificationis caulis folium oriatur, quoque e basi cujusvis ramificationis pedunculorum vel folium pinnatum vel rudimentum folii pinnati vel folium simplex (bractea) esurgit. Inde apparet, pedunculum medium nunquam bracteatum esse posse, quia non

ramificatio caulis ramulive, sed ipse caulis vel ramulus est.

Plures itaque pedunculi confertissimi tot bracteis communibus, quot pedunculi laterales, excepto medio, adsunt, suffulti esse videntur. Praeter bracteas has communes singuli pedunculi propriis quoque bracteis plerumque praediti sunt.

Bracteae communes majores, propriae minores; omnes vero oriuntur e foliis. Foliolorum numerus enim a basi ramuli ad medium crescit, et a medio apicem versus decrescit, donec nonnisi stipulae cum foliolo impari supersint; tunc vero stipulae dilatantur, earumque apices magis connivent. Abjecto demum foliolo impari et stipulis dilatatis apice confluentibus nascuntur bracteae.

Pedunculi nunc pilis raris adpressis praediti (pubescentes), nunc setis aculeolisve partim glanduliferis, partim eglandu-

losis praediti (glanduloso-hispidi), nunc setis pilisque destituti (glabri).

Calyx monophyllus, ventricosus, plerumque collo coarctatus, carnosus: limbo patente quinque partito. Liceat mihi calycis partem inferiorem, pedunculo proximam, quam cel. Willdenowius *) et Kunthius **) receptaculum vocant, tubum calycis nominare, uti jam cel. D. Fr. d. Paula Schrank ***), et ante eum Ehrhartus fecere; quanquam tubus (vocabulo stricte sumto) denotet cylindrum, cujus sectiones transversales circuli aequales. Laciniis calycinis duabus alternis in quibusdam rosis appendices foliaceae sublineares utrinque adhaerent; duabus aliis

*) Abbildung der deutschen Holzarten von Friedrich Guimpel mit Beschreibung derselben von C. L. Wildenow und F. G. Hayne Berlin.

**) Kunth Flora Berolinensis.

***) Primitiae florae salisburgensis Francof. ad Moenum 1792.

alternis utrinque desunt, quinta hinc tantum adpendiculata; id quod describitur versibus hisce aenigmaticis: „quinque sumus fratres sub eodem tempore nati; bini barbati, bini sine crine creati; quintus habet barbam, sed tantum dimidiatam." In aliis vero rosis omnes laciniae adpendicibus carent. Laciniae calycinae itaque sunt vel appendiculatae vel simplices *). Laciniae duae appendiculatae recte considerantur tanquam duo folia, quorum petioli cum stipulis conati in latitudinem extendebantur, et quorum fo-

*) Alii dicunt: laciniae calycinae sunt pinnatifidae vel integrae. Cum vero foliolorum pinnatifidorum perimeter determinatur linea per laciniarum apices ducta, in describenda e contra laciniarum calycinarum perimetri forma appendices iis adhaerentes, tanquam respectu formae earum heterogeneae negligantur, eaeque basi coarctatae a laciniis calycinis, ut ita dicam, separentur, lacinias calycinas rectius adpendiculatas et simplices (quasi e pluribus partibus non constantes) adpellari puto.

liola contrahebantur in appendices exiguas. Alteri laciniae utrinque adpendices aequales, alteri in latere interiore breviores. Lacinia semi-appendiculata foliola in altero latere; laciniae simplices utrinque deposuerunt, sicque in petiolos foliaceos abierunt. Eidem itaque crescendi legi, cui folia, quoque laciniae calycinae et bracteae subjectae sunt. Calycis laciniae intus villosae vel tomentosae, extus glanduloso-hispidae vel glabrae. Notatu mihi dignum videtur, lacinias calycinas glanduloso-hispidas, si utrinque appendiculatae, etiam undique glandulosas esse; si utrinque simplices sint, limbo semper tomentosas, disco glandulosas, laciniam denique hinc tantum appendiculatam altero latere simplici tomentosam absque glandulis, altero vero glandulis obsitam esse. Calycis tubus variat forma globosa, hemisphärica, turbinata, scyphiformi, oviformi vel claviformi. Forma originaria globosa, e qua oritur hemisphaerica,

sicui plantae innata vis vegetandi non sufficit ad globum perficiendum, uti rosa parviflora Lin. sp. pl. docet, quae omnibus partibus minima. Mutatur hemisphaerica in turbinatam, quodsi planta in longitudinem crescere nitatur, et petala multiplicentur, adeoque calycis tubus hemisphaericus elongetur, et petalis multiplicatis fauce amplificetur. Quo nisu aucto, formae globosae rudimentum apice elongatur in tubum brevem cylindricum, sicque forma scyphiformis, quae faciem globuli segmenti, cui tubus brevis cylindricus insidet, prae se fert; inde venit, ut rosa repens, quae stylis pedunculisque elongatis et flagellis longissimis demonstrat, qua vi in longitudinem nitatur, calycis tubum scyphiformem gignat. Forma scyphiformis apicem versus contracta abit in oviformem, quam auctores ovatam *) nominant. Caveas autem, ne

*) Praedicatum „ovatum" competit plano, minime corpori; praedicatum „oviforme" e contra de-

calycis tubi formam prius determinare velis, quam flos gremium suum aperiit, nec serius, postquam petala deciderunt, et calycis tubus intumescere coepit. Tubus calycinus vel hispidus vel glaber.

Petala quinque obcordata, calycis collo inserta. Filamenta plurima, capillaria, brevissima, calycis fauci inserta. Antherae trigonae. Germina numerosa in fundo calycis. Quanquam auctores non ignorent, germina in calycis fundo latere, attamen calycis tubum, qui germen mentitur, revera germen adpellant. Styli numerosi villosi, singuli singulis germinibus conjuncti, ultra tubum calycinum plus minusve eminent, prout germina in calycis fundum plus minusve descendunt, et collo calycis tam arcte comprimuntur, ut styli fere monogyni capitato stigmate esse videantur. Stigmata obtusa. Caly-

notat corpus, cujus sectio longitudinalis planum ovatum est.

cis tubus persistens cum germinibus inclusis abit in fructum unilocularem, carnosum, ventricosum, coloratum, continentem semina numerosa, oblonga, ossea, hispida, calycis interiori lateri affixa.

Inde apparet, rosarum genus referendum esse ad Icosandriam Polygyniam systematis plantarum Linnaei, idque sic definitur:

Calyx monophyllus, ventricosus, carnosus: limbo patente 5—partito. Petala 5. Semina plurima, hispida, calycis interiori lateri affixa.

Diversas hujus generis species certis circumscribere limitibus, multo difficilius esse, quam in multis aliis generibus, neminem fugit, et natura vix tales posuisse videtur. Cujus rei causae sunt varians plurimarum partium indoles, magna caulis, foliolorum florumque in diversis speciebus similitudo, diversa foliolorum forma in eadem planta, rosarumque nisus

flores multiplicandi. Inter omnes notas maxime constantes vidi ramorum caulisque aculeorum situm et directionem, praesentiam atque absentiam pilorum petiolis foliolisque insidentium, glandulas nervi primarii venarumque in inferiore foliolorum pagina, foliolorum serraturas, calycis tubi formam laciniasque appendiculatas vel simplices. Has itaque in stabiliendis rosarum speciebus sequi naturae consentaneum puto.

Rosarum species secundum varias methodos disponuntur. Linnaeus aliique auctores eas dividunt in rosas germinibus subglobosis, et in rosas germinibus ovatis; cel. D. de Paula Schrank *) vero in rosas germinibus glabris, in rosas germinibus subhispidis et in rosas germinibus hispidis. Smithjus **) disponit eas

*) Baierische Flora von Franz von Paula Schrank. 2 p. 35. et sq.

**) Flora brittanica auctore Jacobo Eduardo Smith, ed. Roemeri. 2 p. 537. et sqq.

secundum fructuum formam globosam vel ovatam. Duae primae methodi hodie non sufficiunt; altera quod praeter calycis tubum globosum et oviformem nobis quoque aliae formae cognitae sunt, altera, quod experientia docuit, eandem rosarum speciem e g. rosam rubiginosam variare calycis tubo glabro hispidove. Methodo Smithii obstat, quod nonnullae species, inter quas rosa centifolia, parvifolia et sulphurea, nonnisi flore pleno inveniuntur, ideoque fructus maturos non proferunt. Novam itaque rosarum dispositionem necessariam putavi, easque divisi 1) in rosas, quarum foliola in inferiore pagina glandulis omnino carent, saltem duntaxat ad nervum primarium subtus glandulosa sunt, et 2) in rosas, quarum foliola subtus non solum ad nervum primarium, sed etiam ad venas glandulosa. Utramque sectionem porro disposui secundum calycis tubi formam, uti conspectus specierum descriptarum, qui sequitur, docebit. Quod-

si omnes species, nec solas circa Wirceburgum sponte crescentes, describere mihi in animo esset, hujus divisionis membra adhuc auxissem forma hemisphaerica. Ad hanc methodum eligendam sequentibus adducebar rationibus: 1) glandulas in foliolorum pagina inferiore et calycis tubi formam satis constantes vidi; 2) si flores rosarum gremium suum adperierunt, tunc iis, quorum interest, rosam quandam determinare, omnes notae praesentes sunt, neque fructus exspectare necesse est, ideoque dispositio nostra fini nostro *), in quem in hoc libello tendebam, respondet; 3) methodus nostra facilis, nec dubii quidquam relinquit, utrum rosa quaedam determinanda ad hanc, an ad aliam sectionem pertineat; 4) secundum nostram methodum omnes species, saltem Germaniae indigenae, ordine multo magis naturali, quam in methodis hucusque usitatis sese sequuntur.

*) Conferas praefationem.

Nam si rosarum in Germania indigenarum formas comparaveris, naturam eas in duas disposuisse series, tibi persuadebis. Quarum altera praestat partium hirsutie, hispiditate et glandulis; altera glabritie. Caracterem prioris purissimum repraesentat rosa rubiginosa, posterioris rosa canina. Videamus, quomodo utraque series sese evolvat e formis, ut ita dicam, fundamentalibus. Rosa canina vulgaris eminet omnium partium glabritie et foliolorum glaucescentia; accedunt petiolorum glandulae in rosa canina glandulosa; miscentur petiolorum glandulis pili in rosa affini. Petioli nervusque foliolorum primarius subtus accumulantur pilis; fiunt villosi, et sic oritur rosa platyphylla, quae mutatur in rosam dumetorum et rosam sepium, quodsi nervi primarii villum in tota foliolorum pagina inferiore propagatur, et glaucescentia evanescit. Accedit pedunculorum hispiditas in rosa alba, rosa geminata, rosa

psilophylla, et extenditur per superficiem calycis tubi in rosa sempervirente et in rosa pumila, per quas series rosae caninae alteri seriei proxime accedit. Ex altera parte seriei rosae caninae prodeunt contractione partium rosa aciphylla, spinosissima, turbinata et repens. Appendices nempe laciniarum calycinarum, quae in rosa canina foliaceae, dilatatae, contrahuntur in setaceas in rosa aciphylla, turbinata et repente, et evanescunt in rosa spinosissima et cinnamomea. Pari modo in rosa aciphylla, spinosissima et cinnamomea contrahitur calycis tubi forma oviformis, qualis in rosa canina, in globosam, et certe in rosa turbinata et repente calycis tubus in globulum se contraxisset, nisi illa floribus multiplicatis; haec nisu, in longitudinem crescendi, qui pedunculis styloque elongatis flagellisque longissimis pronuntiatur, impedita fuisset. Altera series originem ducit a rosa rubiginosa, cujus foliola subtus undi-

que glandulis adspersa sunt. Augetur foliolorum pubescentia, sicque prodit rosa villosa, quae rosam sepium in hac serie repraesentat. Evanescit calycis tubi pedunculorumque hispiditas, calycisque tubus abit in globosum, constantibus tamen foliolorum glandulis, in rosa lutea, per quam itaque haec series propius accedit rosae cinnamomeae et spinosissimae, ideoque alteri seriei. Altera ex parte rosa rubiginosa per rosam flexuosam et trachyphyllam in R. sempervirentem adeoque in alteram seriem transit.

Propagantur rosae semine, sobole et gemmis. Cum vero tardissime proveniant e semine, in hortis sobole et gemmis propagari saepissime solent.

Excrescentiae piloso-hispidae-fibrosae seu Gallae spongiosae, quae in caulibus et ramis nonnullarum specierum reperiuntur, ab ictu insecti cujusdam „Cynips Rosae" dicti oriuntur.

Rosa non solum floris pulchritudine et odore inter omnes plantas eminet, sed quoque utilitate multas quam maxime superat. E floribus parantur in officinis rosarum aqua, mel, unguentum, syrupus et conserva; in Turcia, Italia et aliis regionibus calidioribus quoque oleum essentiale. Fructus maturi quarundam specierum acidulo-dulces, nutrientes in culinis adhibentur. Flores apibus ceram et mel praebent. Lignum rosarum tenax, durum, scrutinariis et tornatoribus acceptum.

Rosarum genus nomen accepit a Graecis, qui illud ῥόδον appellarunt, quod vocabulum postea δ in s mutato in rosam abiit. Ῥόδον autem derivat Plutarchus lib. 3, Συμποσ. cap. ult. a ῥέω et ὀδμή, quia fluit ab ea gratus odor. (ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδωδῆς ἀφίησι.)

Conspectus
specierum descriptarum.

I. Foliolorum pagina inferiore eglandulosa, vel solo nervo primario subtus glanduloso.

* Tubo calycis scyphiformi.

1. Rosa repens.

** Tubo calycis turbinato.

2. Rosa turbinata.

*** Tubo calycis globoso.

† Laciniis calycinis simplicibus.

* Aculeis stipularibus.

3. Rosa cinnamomea.

** Aculeis sparsis.

4. Rosa spinosissima.

†† Laciniis calycinis appendiculatis.

5. Rosa aciphylla.

**** Tubo calycis oviformi.

† Tubo calycis pedunculisque glabris.

* Petiolis glabris vel subpubescentibus.

6. Rosa canina.

α. vulgaris.

β. ramosissima.

γ. glandulosa.

δ. squarrosa.

** Petiolis villosis.

† Foliolis subtus glaucescentibus.

* Foliolis duplicato-serratis, basi apiceque acutis.

7. Rosa affinis.

** Foliolis simpliciter serratis, basi rotundatis.

8. Rosa platyphylla.

†† Foliolis concoloribus, utrinque pubescentibus.

* Foliolis duplicato-serratis.

9. Rosa dumetorum.

** Foliolis simpliciter serratis.

10. Rosa sepium.

†† Tubo calycis glabro, pedunculis hispidis.

* Foliolis pubescentibus.

† Foliolis discoloribus, ovatis.

11. Rosa alba.

†† Foliolis concoloribus, orbiculato-ovalibus.

12. Rosa geminata.

** Foliolis glabris.

† Floribus cymosis, cyma trifida, caule aculeató.

13. Rosa psilophylla.

†† Floribus subsolitariis, caule superne aculeato.

14. Rosa arvina.

††† Tubo calycis pedunculisque hispidis.

* Petiolis subinermibus.

15. Rosa centifolia.

** Petiolis aculeatis.

† Foliolis subtus pubescentibus.

16. Rosa pumila.

†† Foliolis utrinque glabris.

17. Rosa sempervirens.

II. Foliolorum pagina inferiore (nec solo nervo primario) glandulosa.

† Tubo calycis oviformi.

* Foliolis glabris,

18. Rosa trachyphylla.

** Foliolis subtus pubescentibus, ad venas primarias glandulosis.

19. Rosa flexuosa.

*** Foliolis utrinque villosulis, undique glandulosis,

† Floribus solitariis vel corymbosis:

20. Rosa rubiginosa.

α. vulgaris.

β. triflora.

γ. parvifolia.

δ. rotundifolia.

ε. glabra.

†† Floribus cymosis, cyma trifida.

21. Rosa umbellata.

**** Foliolis utrinque villosis, mollissimis.

22. Rosa farinosa.

†† Tubo calycis globoso.

* Foliolis utrinque villosis.

23. Rosa villosa.

α. vulgaris.

β. mollissima.

γ. minuta.

** Foliolis subtus pubescentibus.

24. Rosa lutea.

I. Foliolorum pagina inferiore eglandulosa vel solo nervo primario glanduloso.

* Tubo calycis scyphiformi.

1. Rosa repens.

Calycis tubo scyphiformi glabro, pedunculis elongatis glanduloso-scabris; stylis basi cohaerentibus elongatis; caule, petiolis pubescentibus ramisque flagelliformibus.

R. Herporhodon *), caulibus plerisque repentibus, aculeis sparsis recurvis, foliolis septenis ovatis glabris, petiolis aculeatis, pedunculis hispidis, germinibus subglobosis glabris, segmentis calycinis subpinnatifidis,

*) Nomen „Herporhodon" compositum est e vocabulis graecis ἕρπω (repo) et ῥόδον (Rosa.)

stylis pubescentibus longitudine staminum. Ehrh. Beitr. 2. p. 71. Borkhausen Forst-bot. 2 p. 1312. n. 476. Bechstein Forstbot. p. 1030. n. 110.

R. serpens. Fructus ovati glabri pedunculis elongatis subhispidis. Petioli pubescentes, aculeolati. Folia ovata obtusiuscula glabra. Caulis aculeis sparsis subulatis incurvis obsessus, ramis longissimis, flagelliformibus, repentibus, radicantibus, ramulis erectis floriferis. Flores subsolitarii. Wibel fl. Werth. p. 265.

R. repens, germinibus subglobosis glabris, pedunculis hispidis, caulibus plerisque stoloniferis repentibus, aculeis recurvis, floribus solitaris, stylis elongatis. Gmel. fl. Bad. 2. p. 418. n. 760.

R. repens, germinibus oblongis glabris pedunculis hispido-glandulosis, petiolis villosis aculeatis, caule repente. Willd. enum. pl. hort. berol. p. 547. Berl. Baumz. 2. Aufl. p. 405.

R. arvensis, germinibus subglobosis glabris, pedunculis hispidis, caule repente petiolisque aculeatis, floribus subsolitariis.

Lin. sp. pl. ed. Willd. 2 p. 1066. excluso synonymo Roth. fl. germ. 1. p. 217. 2. p. 554.

R. arvensis, (stylosa), ramis sarmentosis, germinibus globosis pedunculisque elongatis glabris, caule petiolisque aculeatis, floribus cymosis, stylis basi cohaerentibus elongatis. Pers. syn. pl. 2. p. 47. Fl. wirc. 1. p. 516. n. 3. Fl. franç. p. Decand. p. 438.

R. arvensis, fructibus globosis pedunculisque inermibus, aculeis caulinis petiolorumque aduncis, floribus subcymosis. Smith fl. britt. 2. p. 538.

R. arvensis, germinibus (oblongis, fructibus) globosis pedunculisque glabris (glandulosis), caule petiolisque aculeatis, floribus (albidis) cymosis Hoffm. Taschenb. 2. Aufl. p. 228.

R. arvensis, Sprengel Gartenz. 4. p. 135. n. 28.

R. sylvestris, folio glabro, flore plane albo J. B. hist. 2. p. 244.

R. sylvestris altera minor, flore albo nostras. Raji hist. pl. 2. p. 1693.

R. canina β) sylvestris, Roth fl. germ. 2. p. 560.

R. sylvestris, germinibus ovatis glabris, pedunculis scabris, calycis foliolis ovatis subintegris tenuique mucrone terminatis, stylis elongatis, caule petiolisque aculeatis. Roth observ. bot. in cel. Roemeri neuem Magaz. B. 2. Roth catal. bot. Fasc. 1. p. 59.

R. sylvestris, germinibus ovatis pedunculisque glabris, calycibus subintegris, acutis; stylis longis, contortis; caule aculeolato diffuso. Franz v. Paula Schrank baier. Fl. 2. p. 35.

R. fusca, caule fusco subscandenti glabro aculeato: aculeis sparsis aduncis: foliis pinnatis glabris: pinnis ovatis serratis: petiolis glabris aculeatis: pedunculis hispidis: corymbis paucifloris. Moench meth. p. 688. excluso synonymo. R. sempervirens Linn.

R. calycibus semipinnatis, caule aculeato diffuso, ramis unifloris. Scop. carn. 1. ed. p. 587. n. 3.

R. spinis recurvis, foliis glabris, septenis, calycibus tomentosis, segmentis subpinnatis, tubis *) longis barbatis. Haller hist.

---

*) Haller stylos nominat. tubas.

stirp. Helv. n. 1102. Hermann Difs. de Rosa. p. 10. No. 5. Pollich. fl. pal. 2. p. 51. n. 485. Krocker fl. siles. 2. p. 150. n. 780.

R. campestris repens alba. C. B. pin. 484.

Guimpel Abbildung deutsch. Holzarten. 16 Heft. t. 95.

Germ. Kriechende Rose (Kriechrose, Schlangenrose, Feldrose.)

Gall. Rosier rampante. Rosier des champs.

Floret Jun. Jul.

Rami flagelliformes, longissimi, supra terram serpentes (uti in Rubo), ramulique floriferi erecti partim virides partim rubicundi aculeati: aculeis raris tenuibus et rectiusculis. Petioli pubescentes, glandulosi, aculeolati. Stipulae lanceolatae, glanduloso-ciliatae. Foliola quina rarius septena; superiora nonnunquam terna, ovata vel rotundo-ovata supra pube rarissima, subtus ad nervum primarium densiori adspersa, discolora, simpliciter serra-

ta: serraturis glandulosis latiusculis. Pedunculi plerumque solitarii rarius corymbosi, uniflori, glanduloso-scabri rubicundi, inermes, elongati, bracteati: bracteis propriis partim duabus, partim unica, ovato-lanceolatis. Calycis tubus scyphiformis, rubicundus glaber. Laciniae calycinae ovales, mucrone lineari terminatae, virides, margine glandulis stipitatis raris praeditae, intus et margine albo-tomentosae, appendiculatae: appendicibus lineari-setaceis. Petala nivea. calyce longiora. Styli basi in columnam simplicem, stamina aequantem, coaliti (quasi monogyni). Fructus subglobosi, glabri, maturi obscure rubri.

In sylvis, praesertim ad sylvarum marginalia dumetosa, frequens.

Plurimi auctores, inter quos Willdenowius, Smith, Persoon, Hoffmann aliique,

ad rosam repentem referunt rosam arvensem Linnaei, quae ab hoc in Mantissa p. 245. sic definitur: „germinibus globosis pedunculisque glabris, caule petiolisque aculeatis, floribus cymosis" cui definitioni rosa repens non respondet; huic enim pedunculi glanduloso scabri, calycis tubus scyphiformis, nec globosus.

Quamadmodum omnibus auctoribus lateat, qualem speciem Linnaeus R. arvensem appellaverit, inde apparet, quod alii auctores eandem rosam arvensem Linnaei referant ad alias species, e. g. Gmelinus ad suam rosam corymbiferam, Roth ad rosam platyphyllam nostram, Borkhausen (Forstbot. 2. p. 1328.) ad rubrifoliam Willd. Villars; ille, qui floram Gmelini recensuit (Neues Journal f. d. Botanik herausgeg. v. Prof. Schrader. 3 Bnd. p. 248.) ad corymbiferam et repentem Gmelini. Ob defectum descriptionis Linneanae dijudicare non audeo.

Rosam repentem. Gmelini ab ejusdem corymbifera toto coelo differre, ex comparatione utriusque descriptionis elucet.

Willdenowius*) separat a rosa repente rosam arvensem, quam ita definit: „germinibus oblongis pedunculisque glabris, aculeis caulinis petiolorumque uncinatis. Floribus subcymosis, caule scandente." Sed haec rosa arvensis Willd. differt a rosa repente duntaxat pedunculis glabris, adeoque distinctam speciem non constituit; nam caulis repens in scandentem abit, quodsi illi fulcra praebentur.

Diu adnumerabatur rosa repens varietatibus rosae caninae, a qua tamen differt

1) ramis longissimis, flagelliformibus, supra terram serpentibus;

*) Berliner Baumzucht p. 404. n. 31.

2) foliolorum serraturis simplicibus;
3) pedunculis duplo-vel triplo longioribus, plerumque solitariis, rubicundis, glanduloso-scabris;
4) laciniarum calycinarum appendicibus lineari-setaceis;
5) calycis tubo scyphiformi;
6) stylis elongatis basi cohaerentibus;
7) petiolis pubescentibus.

** Tubo calycis turbinata.

2. Rosa turbinata.

Calycis tubo turbinato, medio constricto, basi pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis ovatis simpliciter-serratis, subtus discoloribus pubescentibus; petiolis villosis; ramulis floriferis inermibus; aculeis caulinis sparsis.

R. turbinata, germinibus turbinatis pedunculisque pilosis, petiolis villosis, aculeis sparsis recurvis. Ait. Kew. 2. p. 206. Lin. sp. pl. ed. Willd. p. 1073.

R. turbinata, germinibus campanulatis pedunculisque glanduloso hispidis, petiolis glanduloso-pubescentibus aculeatis, aculeis caulinis sparsis recurvis. Willd. enum. pl. h. berol. p. 545. Berl. Baumz. p. 395.

R. turbinata, tubo calycis turbinato, medio constricto, basi pedunculisque setoso-glandulosis, foliolis ovatis serratis subtus discoloribus, petiolisque tomentoso-pubescentibus, stipulis integerrimis glanduliferis, ramulis inermibus. Wallr. An. bot. p. 63.

R. campanulata, caule aculeis recurvis, foliis villosis, petiolis aculeatis, pedunculis hispidis, calyce hispido, tubo campaniformi. Ehrh. Beitr. 6. p. 97.

R. francofurtana, germinibus campanulato-hemisphaericis basi hispidis, pedunculis petiolisque aculeatis, foliolis ovatis acutis, serratis, caule aculeis rectiusculis. Gmel. fl. Bad. 2. p. 405. Borkhausen Holzarten p. 312. Münchhausen Hausv. 5. p. 24.

Germ. Kreiselförmige Rose, (Frankfurter Rose, Tapetenrose)

Gall. Rosier de Francfort, Rosier en toupie fl. franç. par Decand. p. 441. (vulgo Rosier à gros cul.)

Floret Majo, Junio.

Frutex 5—9 pedalis et altior, erectus, ramosus. Rami erecti patentes, superne sub-inermes, inferne aculeati: aculeis confertis, sparsis, partim rectis partim uncinatis, inaequalibus. Ramuli floriferi inermes. Omnes cortice laevissimo glaucescente tecti (exceptis adultioribus.) Petioli villosi, hispido-aculeolati, glandulosi. Stipulae, praesertim supremae, amplae, acuminatae, supra saturate virides pube rara inspersae, subtus discolores, pubescentes praeprimis ad venas, tenuissime glanduloso-serrulatae. Foliola quina septenave, ovata, acuta, eglandulosa, simpliciter-serrata: serraturis aequalibus, supra et subtus, uti stipulae. Pedunculi 1—3 corymbosi, uniflori, setis rigidis rectis apice, quando juveniles sunt, glanduliferis confertis hispidi, bracteati: bracteis propriis duabus vel unica, ovatis acumina-

tis margine ciliatis, supra et infra, ut stipulae. Tubus calycis turbinatus, medio constrictus, glaber, plerumque coloratus, basi attenuata vero, ut pedunculi, glanduloso-setosus, setis reflexis. Laciniae calycinae incano-tomentosae, disco et apice glandulosae, ovato-triangulares, longe acuminatae, demum reflexae, appendiculatae: appendicibus linearibus basi attenuatis. Corolla speciosa, flaccida, plerumque duplicata, nunquam plena, centifoliae quoad amplitudinem accedens, coloris autem saturatioris. Longum per tempus haec rosa petala non explicat, sed diu in fasciculos congesta servat.

Invenit hanc rosam amicus meus cel. D. Dr. Nees ab Esenbeck prope Sikershausen, Kitzingen ad margines vinearum et D. Georgius Heller, medicinae studiosus in colle saxoso vulgo Hexenbruch frequentem.

Species ad ornandas parietes in hortis aptissima. Non dubitandum est, quin haec species sit Germaniae indigena, cum non solum apud nos, sed etiam in vineis ad Bennstaedt, in dumetis ad Groitsch (conf. Wallr. An. bot. l. cit.) et apud Klein Brembach (conf. Bernhardi's Verz. der Pflanzen um Erfurt 1800.) sponte crescat.

*** Tubo calycis globoso.

† Laciniis calycinis simplicibus.

3. Rosa cinnamomea.

Tubo calycis globoso pedunculisque glabris, laciniis calycinis simplicibus; *) foliolis oblongo-ellipticis, simpliciter serratis, basi attenuatis integerrimis utrinque pubescentibus, subtus cinereo-glau-

*) Quodsi definitione non determinatur, lacinias calycinas esse simplices, intelligendum est, eas esse appendiculatas.

cis; petiolis villosis; aculeis ramorum stipularibus, subgeminis.

α) *majalis*, petiolis inermibus.

Rosa majalis. germinibus globosis pedunculis petiolisque inermibus, caule aculeis geminis axillaribus, calycibus integris spathulatis. Retz obs. bot. fasc. 3. p. 33.

R. germinibus globosis, pedunculisque glabris, caule aculeis stipularibus, petiolis inermibus. Leers fl. herb. n. 387. Krocker fl. siles. 2. p. 141.

R. cinnamomea, M. a Bieb. fl. Cauc. 1. p. 393. n. 969. quoad descriptionem.

R. cinnamomea, tubo calycis globoso, pedunculis ramulisque glabris, aculeis stipularibus subbinis, petiolis inermibus, villosis, oblongo-lanceolatis serratis basi attenuatis integerrimis, subtus cinereo-glaucis pubescentibus. Wallr. An. bot. p. 60.

R. minor rubello multiplicato flore, asperis spinis armata. J. B. hist. 2. p. 38.

R. cinnamomea floribus subrubentibus spinosa. J. B. hist. 2. p. 39.

R. cinnamomea, Hort. Eyst. 6. Ordo. f. 5. n. 2. t. 2.

β) *foecundissima*, petiolis aculeatis.

R. collincola, foliolis ovalibus obtusis pubescentibus, eglandulosis, subtus cinereis, petiolis subaculeatis, pedunculis solitariis glaberrimis, germinibus globosis glaberrimis, laciniis calycinis subulatis apice saepe foliaceis, pubescentibus erectis. Ehrh. Beitr. 2. p. 70.

R. foecundissima, germinibus globosis pedunculisque glabris, caule petiolisque aculeatis: aculeis axillaribus geminis, foliolis ovato-oblongis, subtus villosis. Du Roi Harbk. Baumz. 1. Aufl. 2. p. 343. Roth fl. germ. 2. p. 557.

R. calycibus integris, germinibus globosis pedunculisque glabris, caule petiolisque aculeatis: aculeis geminis axillaribus, foliolis ovato-oblongis, subtus villosis. Onomat. bot. 7. p. 943.

R. cinnamomea, germinibus globosis pedunculisque glabris, caule aculeis stipularibus, petiolis subinermibus. Linn. sp. pl. ed. Willd. 2. p. 1065. enum. pl. h. berol. p.

543. Berl. Baumz. p. 383. Pers. syn. pl. 2. p. 47. Hoffm. fl. germ. p. 174. Houttuyn's Pflanzensyst. 3. p. 665. Kroker fl. siles. 2. p. 141. Röhling's Flora v. Deutschl. Aufl. 2. p. 292. Du Roi Harbk. Baumz. 1. Aufl. 2. p. 348. Wetter. fl. 2. p. 222. n. 639. Fl. wirc. 1. p. 515. n. 2. Borkh. Forstb. 2. p. 1307.

Germ. Zimmtrose (Mairose, Zimmtriechende Rose).

Gall. Rosier canelle (Rose de May).

Floret Majo.

Frutex 5—7. pedalis. Caules aculeati: aculeis versus basin densioribus, rectis et recurvis. Rami erecti, longi, purpureo-rubentes, splendentes, pruinosi, aculeati: aculeis stipularibus majoribus, geminis oppositis vel quaternis per paria approximatis, partim rectis partim recurvis. Petioli villosi in varietate α) inermes, basi nonnunquam rubicundi, eglandulosi. Stipulae amplae, basi glanduloso-ciliatae, a medio glan-

duloso-serrulatae, disco sphacilatae. Foliola plerumque quina, nonnunquam septena, oblongo-elliptica, ultra dimidium simpliciter argute serrata, supra saturate viridia, utrinque praesertim subtus pubescentia, eglandulosa. Pedunculi glaberrimi, purpurascentes, uniflori, plerumque solitarii, rarius subbini. Tubus calycis globosus, glaber, purpurascens. Laciniae calycinae lanceolatae, apice lanceolato-foliaceae, pagina interiore limbo et apice tomento incano obductis, corollam superantes, simplices. Rarissime observatur rudimentum appendicis. Corolla parva apud nos semper plena, pallide rubella. Fructus maturus, globosus, phoeniceo-purpureus.

Inveni varietatem

α) in colle saxoso, vulgo Hexenbruch dicto, et varietas

β) secundum floram wirceburgensem in hortorum sepibus vineisque crescit, sed semper flore pleno.

Ad qualem varietatem R. odore cinnamomi simplex C. B. pin. 438. referenda sit, determinari non potest.

Rosa cinnamomea differt a rosa blanda Willd. (fraxinifolia Borkhausen) quae in hortis colitur, cui similis,

1) caulibus adultis aculeatis;

2) foliolis oblongo - ellipticis, pubescentibus nec glaberrimis, uti in rosa blanda;

3) floribus plenis;

nam in rosa blanda caules adulti inermes, foliola oblonga et flores simplices.

Retz varietatem α) rosae cinnamomeae ob petiolos inermes ad speciei dignitatem elevat, sed cum non aliis differat caracteribus a rosa cinnamomea β), petiolorumque aculei soli ad differentiam specificam non sufficiant, rosam cinnamomeam in duas dividere varietates e re

esse putavi. Rosa majalis Hermanni (Diss. de Rosa. p, 10.) complectitur utramque nostram varietatem rosae cinnamomeae; nomine vero rosae cinnamomeae describitur ab eo (l. c. p. 8.) rosa quaedam a nostra cinnamomea omnino diversa.

Nomen rosae cinnamomeae derivatum est a colore corticis, nec ab odore floris.

J. Bauhinus l. c. icones rosae cinnamomeae flore tum simplici tum pleno praebet.

4. Rosa spinosissima.

Calycis tubo globoso glabro, pedunculis glabris hispidisve; laciniis calycinis simplicibus; foliolis orbiculato-ovalibus simpliciter serratis, basi integerrimis, concoloribus, utrinque glaberrimis; petiolis cauleque aculeatis: aculeis ramorum juniorum sparsis, confertissimis, rectis.

R. spinosissima, fructibus globosis, pedunculisque glabris, aculeis caulinis numerosissimis rectis setaceis, foliolis subrotundis glabris. Smith fl. britt. 2. p. 537. Wetter. fl. 2. p. 224. n. 641. Fl. wirc. p. 517. n. 4.

R. pimpinellifolia, germinibus globosis pedunculisque glabris, caule aculeis sparsis rectis, petiolis scabris, foliolis obtusis. M. a Bieb. 1. p. 394. n. 971. Fl. françoise par Decand. p. 438.

R. pimpinellifolia, var. b. (flore albo.) Münchh. Hausv. p. 287. n. 13.

R. altaica, germinibus globosis pedunculisque glabris, caule aculeis, setaceis sparsis rectis petiolis aculeatis foliolis subrotundo-ellipticis. Willd. enum. pl. h. berol. p. 543. Berl. Baumz. p. 384.

R. spinossisima, germinibus globosis glabris, pedunculis hispidis, caule petiolisque aculeatissimis. Linn. syst. veg. p. 394. Lin. sp. pl. ed. Willd. 2. p. 1067. Münchh. Hausv. 5. p. 274. n. 2. Houttuyn Pfl. syst. 3. p. 666. et Herm. Diss. de Rosa. p. 7. (pro parte) Pollich fl. pal. 2. p. 53. n. 487. Leers fl. herb. p. 120. n. 384. Braune Salzburg. fl. 2. p. 6. n. 471. Scholler fl. Barb. p. 120. n. 401. Pers. syn. pl. 2. p. 48. Gmel. fl. Bad. 2. p. 414. Krocker fl. sil. 2. p. 143. Roth fl. Germ. 1. p. 217. 2. p. 555. Borkhausen Forstbot. 2. p. 1306. n. 472. Bechstein Forstbot. p. 1027. n. 108.

R. spinosissima, calycibus integris: germinibus globosis glabris, pedunculis hispi-

dis: caule et petiolis aculeatissimis: foliolis lanceolato-ovatis serratis glabris. Du Roi Harbk. Baumz. 1. Aufl. 2. p. 339.

R. spinosissima, germinibus globosis glabris, pedunculis hispidis, caule aculeis subulatis rectis confertissimis, petiolis aculeatis foliolis subrotundo-ellipticis. Willd. Berl. Baumz. p. 385. Röhling Deutschl. Flora 2. Aufl. 2. p. 293. Wetter. fl. 2. p. 224. n. 641.

R. spinosissima, fructus globosi glabri, pedunculis subhispidis. Petioli aculeolati glabri. Folia ovato-subrotunda glabra; parvula. Caulis aculeis sparsis, rectis subulatis tectus. Flores solitarii. Wiebel fl. Werth. p. 264. n. 5.

R. spinosissima, caule aculeatissimo: petiolis aculeatis: aculeis rectis: foliis pinnatis oblongis glabris duplicato-serratis: pedunculis calycibusque glabris. — Petala alba — Mönch meth. p. 687.

R. pimpinellifolia aut spinosissima, Zschokke der Gebirgsförster. 1. p. 257.

R. spinis rectis, confertis, foliis novenis, glabris, pomis et petiolis subspinosis. Haller hist. stirp. Helv. 2. p. 40. n. 1106.

R. collina, v. Schrank baier. Fl. n. 774.

R. campestris spinosissima flore albo odoro C. B. Pin. 384.

R. praecox spinosa flore albo. Hort. Eyst. 6. Ordo. f. 5. n. 4. t. 4.

R. pumila spinosissima, foliis Pimpinellae glabris, flore albo. J. B. hist. 2. p. 40. Raii Hist. pl. 2. p. 1472. Miller dict. 2. p. 205. n. 4.

Rosa Dunensis, species nova, Dodonaeus stirp. hist. p. 187. n. 9. t. 3.

Cynorrhodi species in Broccenbergo nascens, rarior inventu, fructu nigro non oblongo sed rotundo, cerasi magnitudine. Thalii sylva Hercyn. p. 35.

R. campestris odora, Clusii hist. 1. p. 116.

Oed. fl. Dan. t. 398.

Germ. Vielstachliche Rose, (Erd- Dunen- Haber- Hafer- Stachel- Frauen- Korn- oder Heiderose, Heckenrose, kleine sehr dornige Heckrose, schottische Zwergrose, Wilddornige Rose, kleine niedrigste allerstachlichste Feld- oder Bergrose, Mariendorn, Marterdorn, Pimpinellenrose, Weißfrühröslein.)

Gall. Rosier plein d'epines.

Floret Jun. Jul.

Frutex 2—6 pedalis, cortice e brunneo rubello obductus. Rami juniores aculeis confertissimis, rectis, inaequalibus, setaceis, albidis horridi, adultiores aculeis emortuis evanidis fere toti verucosi. Petioli pube rarissima, praesertim ad foliolorum ortum adspersi, aculeati: aculeis rectis exiguis flexibilibus. Stipulae angustae, margine baseos integerrimae parum glandulosa, apice glanduloso-dentata. Foliola septena vel novena, ovalia, (foliolis Poterii sanquisorbae simillima), utrinque glabra, supra saturate viridia, subtus pallidiora, superiora vix semiuncialia, inferiora duas lineas aequantia, simpliciter argute et inaequaliter ultra dimidium serrata, basi integerrima, eglandulosa, reticulato-venosa: venis pellucidis. Pedunculi glabri vel hispidi, uniflori, solitarii. Calycis tubus globosus, glaber. Laciniae calycinae

lanceolatae, simplices. Petala alba, basi flavescentia, integerrima vel vix emarginata, calycem superantia. Fructus globosus, maturitate primo purpureus, postea ex fusco-purpurascens, tandem niger, glaber, pendulus.

Ad marginem sylvae vitihoechheimensis, ad agros prope Versbach alibique inveni, sed semper pedunculis glabris, et caule humili.

A rosa pimpinellifolia Du Roi Harbk. Baumz. 1. Aufl. 2. p. 356. Lin. sp. pl. ed. Willd. p. 1067. n. 7. enum. pl. h. berol. p. 543., quacum rosa spinosissima saepe confunditur, sequentibus caracteribus cultura non mutandis rosa spinosissima differt:

1) Corollis constanter albis, nec rubellis, uti in rosa pimpinellifolia.

2) Pedunculis nunc glabris, nunc hispidis. Rosae pimpinellifoliae pedunculi constanter glabri;

3) Caule altiori, cum nonnunquam magnitudinem quinque, sex pedum attingit. Rosa pimpinellifolia palmaris, pedalis, sesquipedalis.

Variant auctorum definitiones rosae spinosissimae, prout specimina, quibus utebantur, pedunculis glabris vel hispidis distinguebantur. Sic Smith, auctores fl. Wetter., Pollich, Marsch. a Bieberstein, et Moench rosam spinosissimam pedunculis glabris descripserunt, plurimi alii auctores pedunculos hispidos ante oculos habuerunt, quanquam hos non lateret, rosam spinosissimam quoque pedunculis glabris occurrere.

Rosam altaicam Willd. enum. pl. h. berol. p. 543. Berl. Baumz. p. 384., quae ita definitur „germinibus globosis pedunculisque glabris, caule aculeis setaceis

sparsis rectis, petiolis aculeatis, foliolis subrotundo-ellipticis" a rosa spinossima diversam esse non puto. Nam ex collatione definitionum et descriptionum rosae altaicae et spinosissimae Willd. apparet, illam ab hac duntaxat pedunculis glabris, aculeis rarioribus et majori altitudine differre; Sed hi caracteres mihi non sufficere videntur ad stabiliendam novam speciem, eoquod etiam rosa spinosissima saepissime altitudinem 5—6 pedum attingit *) et frequentissime pedunculos glabros profert. Praeterea rosa spinossisima aetate aculeos deponit; imo aetata juvenili caule, petiolis pedunculis ca-

*) Secundum floram Werth. Wibelii rosa spinossima ad montem Kalmut prope Homburg ad viam versus Böttingen orgyalem magnitudinem assequitur, id quod flora wirceburgensis confirmat. Eandem altitudinem auctores florae Wetter. observarunt.

lycibusque inermibus invenitur. *) Alii auctores, uti Haller, Zschokke, Crantz, Houttuyn **) aliique rosam spinossimam cum pimpinellifolia in unam conjungunt speciem.

In horto hujate aulico colitur rosa ciphiana Roberti Sibbaldi, maxime affinis rosae spinosissimae, tamen diversa pedunculis et laciniis calycinis constanter glabris, flore tincto rubedine varia, in quibusdam saturatiore, in aliis dilutiore, in omnibus virgulis albis pulchre distincta; odoreque eximio, qua pollet tenuitate, pe-

*) In Herbario D. Doctoris Nees ab Esenbeck vidi specimen rosae spinosissimae ad Basileam collectum, quod ob duos caules floriferos, quorum alter aculeis setaceis confertissimis tectus, alter vero simul cum petiolis pedunculisque inermis est, uni eodemque sarmento adnatos notatu dignissimum quoad colorem floris cum spinossima nostra convenit.

**) Houttuyn rosam spinossisimam pedunculis glabris separat a rosa spinosissima pedunculis hispidis, et illam rosae pimpinellifoliae adnumerat.

netrante. Hos caracteres rosae ciphianae cultura non mutat. Quaeritur inde, utrum sit rosae spinosissimae varietas, an species distincta? Smith (fl. britt. 2. p. 537.) eam habet varietatem rosae spinosissimae. Miller (Gärtnerslexicon 2. p. 205. n. 6.) illius mentionem facit sub nomine „Rosa pimpinella minor scotica, floribus ex albo et carneo eleganter variegatis. Rosa ciphiana nomen duxit a praedio Ciphiano Sibbaldi, ubi ab eodem in colle inventa, et postea in libro*) cui titulus „Scotia illustrata auctore Roberto Sibbaldo“ non solum fusa descriptione sed etiam tabula aenea illustrata versibusque sapphicis decantata erat.

Wildenowius refert iconem florae danicae t. 398. ad rosam suam arvensem adeoque ad repentem nostram, a qua ta-

*) Partis secundae liber primus p. 46.

men primo intuitu distinquitur; nam hac icone praestantissima exprimuntur caules erecti, aculeis setaceis rectis fere tecti, foliola novena, pedunculi solitarii (nec cymosi), glabri, calycis tubus globosus glaber, laciniae calycinae simplices, flores albi, styli denique staminibus breviores (nec in columnam coaliti), adeoque omnes caracteres rosae spinosissimae nostrae pedunculis glabris. Ad hanc opinionem Willdenowius Linnaei Mantissa, in qua post definitionem rosae arvensis Linnaei p. 245. allegatur t. 398. fl. Dan. adductus esse videtur. Nisi Linnaeus flores rosae suae arvensis cymosos nominaret, crederem, eum rosam spinosissimam pedunculis glabris a rosa spinosissima pedunculis hispidis separasse, et priorem rosam arvensem, posteriorem vero spinosissimam nominasse.

5. Rosa aciphylla. R.

Tubo calycis globoso pedunculisque glabris; foliolis oblongo-lanceolatis, cuspidatis, glaberrimis, concoloribus, inaequaliter argute serratis; petiolis supra pubescentibus, subinermibus, caule aculeato.

Germ. Spitzblättrige Rose.

Floret Maio prius, quam rosa canina.

Frutex magnitudine 2—2½ pedum caule aculeato. Rami stricti, fusci, aculeis raris subsolitariis recurvis armati, ramuli confertissimi breves. Petioli nonnulli aculeati, nonnulli inermes, omnes pagina superiore pubescentes, inferiore glabri. Stipulae angustae, lineares, cuspidatae, margine glandulis stipitatis vestitae. Foliola quina septenaque, flavescenti-viridia, supra saturatiora, utrinque glaberrima, reticulata: venis pellucidis, oblongo-lanceolata, inaequaliter serrata: serraturae mu-

cronatae, incurvae, majores glandulis sessilibus, minores glandulis stipitatis terminatae; apices foliolorum in cuspides protensae. Foliola superiora semi-uncialia, inferiora duas aut tres lineas longa. Pedunculi uniflori, breves 1 ad $1\frac{1}{2}$ lineam longi, plerumque 1 — 4 umbellati, glabri bracteati. Calycis tubus globosus glaber. Laciniae calycinae lanceolatae, cuspidatae, intus et limbo tomentosae, appendiculatae: appendicibus setaceis, petala duas tresve lineas longa alba vix rubedine tincta superantes. Fructus globosus glaber parvus. Maturum non vidi.

D. Georgius Heller, medicinae sudiosus, de flora wirceburgensi optime meritus hanc rosam primus invenit in colle saxoso Hexenbruch dicto, et ipse collegi cum eo plura specimina.

Nomen e vocabulis graecis ἀκὴ, ης et φυλλον compositum, derivavi a foliolo-

lorum omniumque partium foliacearum forma cuspidata.

**** Tubo calycis oviformi.

† Tubo calycis pedunculisque glabris.

6. Rosa canina.

Calycis tubo oblongo-oviformi pedunculisque glabris; foliolis ovalibus basi integerrima apiceque acutis, utrinque glaberrimis, subtus glaucescentibus, serratis: serraturis subglandulosis; petiolis glabris vel subpubescentibus cauleque aculeatis.

α. *vulgaris* R.

Frutex 1—$1\frac{1}{2}$—2 pedalis, caule saepe simplici, non raro basi ramoso, erecto, superne aculeato, inferne aculeis evanidis cicatrisato et quasi verrucoso. Aculei subulati, plurimi recti, pauciores validiores, recurvi, intermixtis glandulis stipitatis. Petioli pubescentes, glanduloso-hispidi: glandulis fuscis, subtus aculeolati, connati stipulis lanceolatis integerrimis, supra glabris, subtus pubescentibus, glandulosis margine glanduloso-ciliatis. Foliola inferiora quina, summa terna, plerumque conniventia et reclinata, ovalia partim acuta, partim obtusa, infima obovata, satis rigida, supra glabra, viridia, subtus glaucescentia;

pubescentia venoso rugulosa, ad nervos primarios glandulosa, venis rubiginosis eglandulosis vel rarissimis glandulis adspersis, duplicato-serrata: serraturis argutis glandulosis. Frutex pauciflorus; saepe unico flore caulem terminante. Pedunculi solitarii, vel bini, terni, ramos vel caulem terminantes calycisque tubus oboviformis, setis glandulosis tecti. Laciniae calycinae lanceolato-attenuatae, nec apice dilatatae glandulosae corollam subaequantes, appendiculatae: appendicibus lanceolatis, glanduloso denticulatis, frequentibus. Corolla speciosa colore purpurascente plus minusve saturato, unque et extus albida, suaveolens, in diametro duas uncias metitur. Fructus pyriformes hispidi, rubri vel parum aurantiaci, nitidi plerumque tota hieme stirpi inhaerent.

In agris, ad margines vinearum.

Hexenbruch, Sikershausen, Maimbernheimerwäldchen, Versbach.

β) *hispida.*

Calycis tubo, laciniis calycinis petala superantibus pedunculisque aculeato-hispidis; aculeis caulinis validioribus, corolla saturate purpurea, holoserico-micante, duplo minori, caule superne ramoso crassiori.

R. hispida, spinosissima, pedunculis germinibusque hispidis, foliis obovatis ternis vel quinis glabris obtuse-serratis, foliolis calycis florem superantibus. Münchh. Hausv. 5. p. 281. n. 15.

R. hispida, aculeatissima; pedunculis germinibusque hispidis; foliolis obovatis quinis ternisve glabris, obtuse serratis; petalis calyce brevioribus. v. Schrank. baier. Fl. 2. p. 41.

R. pumila, tubo calycis demum pyriformi pedunculisque dense muricatis, foliolis ovatis subtus glaucescentibus, ramis cicatri-

satis subinermibus decumbentibus, ramulis adscendentibus aculeatissimis. Wallr. An. bot. p. 62. n. 130.

Rami pedales et longiores, prostrati, pennae anserinae crassitie, impliciti, teretes, basi radicantes, partim aculeis inaequalibus, partim aculeorum evanidorum residuis obsiti. Aculei majores recurvi, mixti aliis minoribus subulatis rectiusculis. Ramuli floriferi adscendentes, plures ex eodem ramo, dum florent, digitales, dodrantales et altiores, erecti, foliosi, inferne dilute virides, superne rubicundi, toti aculeatissimi, setis glanduliferis copiosis intermixtis. Petioli pubescentes, glandulis tecti, subtus aculeolati, connati stipulis angustissimis, lanceolatis, undique glandulosis margine glanduloso-ciliatis. Foliola quina, summa et infima terna, o r b i c u l a t o - o v a l i a, partim acuta, partim obtusa, supra laete viridia, glabra, s u b t u s s u b v i l l o s a, discolo-

esse non potest. Inde fit, ut uterque corymbus lateralis bracteis duabus communibus suffultus esse videatur. Praeterea in utroque corymbo pedunculi laterales duabus bracteis propriis praediti sunt. Bracteae ovato-lanceolatae, utrinque glabrae, glanduloso-ciliatae. Calycis tubus oviformis, glaber, coloratus. Laciniae calycinae ovato-lanceolatae, longe acuminatae, apice paululum dilatatae, glandulosae, appendiculatae: appendicibus lanceolatis, glanduloso-denticulatis.

Hanc rosam, quam D. Dr. Nees ab Esenbeck apud Mainstockheim prope Kitzingen sponte crescentem invenit, nonnisi siccam vidi in ejusdem herbario vivo, unde venit, ut nec fructus nec fruticis altitudinem determinare possim.

Rosa psilosophylla nostra cum rosa umbellata, quae in prima editione florae Hàllensis Leyseri p. 435. occurrit, in secunda vero editione ad rosam caninam tanquam varietas refertur, omnino congruit, exceptis foliolis subtus pubescentibus, quae de rosa umbellata Leyseri praedicantur. Descriptio Leyseri haec est: „Statura omnibus sociis major. Caulis aculeatus, aculeis recurvis. Folia pinnata: foliolis quinis, infra pubescentibus, supra subnudis. Pedunculi breves, umbellati, terminales, scabri, tres, laterales trifidi, triflori, intermedius uniflorus. Bracteae ad basin pedunculorum ovato-lanceolatae. Calycis foliola saepius duplicato-pinnata".

Cum rosa canina rosam nostram psilophyllam in unam eandemque speciem conjungere principiis botanicis contrarium foret, nam haec ab ea differt

1) foliolis ovalibus basi rotundata, nec basi apiceque acutis;

Hexenbruch, Sikershausen, Maimbernheimerwäldchen, Versbach.

β) *hispida.*

Calycis tubo, laciniis calycinis petala superantibus pedunculisque aculeato-hispidis; aculeis caulinis validioribus, corolla saturate purpurea, holoserico-micante, duplo minori, caule superne ramoso crassiori.

R. hispida, spinosissima, pedunculis germinibusque hispidis, foliis obovatis ternis vel quinis glabris obtuse-serratis, foliolis calycis florem superantibus. Münchh. Hausv. 5. p. 281. n. 15.

R. hispida, aculeatissima; pedunculis germinibusque hispidis; foliolis obovatis quinis ternisve glabris, obtuse serratis; petalis calyce brevioribus. v. Schrank. baier. Fl. 2. p. 41.

R. pumila, tubo calycis demum pyriformi pedunculisque dense muricatis, foliolis ovatis subtus glaucescentibus, ramis cicatri-

satis subinermibus decumbentibus, ramulis adscendentibus aculeatissimis. Wallr. An. bot. p. 62. n. 130.

Rami pedales et longiores, prostrati, pennae anserinae crassitie, impliciti, teretes, basi radicantes, partim aculeis inaequalibus, partim aculeorum evanidorum residuis obsiti. Aculei majores recurvi, mixti aliis minoribus subulatis rectiusculis. Ramuli floriferi adscendentes, plures ex eodem ramo, dum florent, digitales, dodrantales et altiores, erecti, foliosi, inferne dilute virides, superne rubicundi, toti aculeatissimi, setis glanduliferis copiosis intermixtis. Petioli pubescentes, glandulis tecti, subtus aculeolati, connati stipulis angustissimis, lanceolatis, undique glandulosis margine glanduloso-ciliatis. Foliola quina, summa et infima terna, orbiculato-ovalia, partim acuta, partim obtusa, supra laete viridia, glabra, subtus subvillosa, discolo-

disco purpurascente, subtus pubescentes intermixtis glandulis frequentissimis, glanduloso-serrulatae. Foliola plerumque septena, summa terna, elliptico-ovata, basi rotundata, supra pube rarissima adspersa, subtus pubescentia, ad nervum venasque primarias glandulosa, duplicato-argute-serrata: serraturae glandulis stipitatis terminatae. Pedunculis 1—3 corymbosi, glanduloso-hispidi: intermedio breviori crassiori bractea propria destituto, duobus lateralibus bracteis propriis praeditis. Corymbus bractea et folio ternato suffultus. Calycis tubus oviformis basi glanduloso-hispidus. Laciniae calycinae lanceolatae in acumen setaceum protensae, glandulis undique adspersae, appendiculatae: appendicibus setaceis glandulis longe pedicellatis praeditis, unde venit, ut appendices iterum appendiculatae videantur. Petala magna, pallide rosea, ob-

cordata, calycem superantia, $1\frac{1}{4}$ pollicem longa. Fructus glabri, caetera uti in rosa rubiginosa vulgari.

Species circa Wirceburgum frequens.

Differt a rosa rubiginosa β. triflora, cui similis

1) foliolis supra subglabris, subtus pubescentibus (nec villosulis), majoribus;
2) petiolorum pube rariori;
3) ramulis confertissime flexuosis
4) aculeis stipularibus ramulorum.
5) floribus duplo majoribus;
6) laciniis calycis in acumen setaceum protensis, appendicibusque setaceis.

A rosa rubiginosa α vulgari, praeter eosdem caracteres, adhuc calycis tubo sola basi glanduloso-hispida.

Descriptio rosae sylvestris albae cum aliquo rubore, folio hirsuto, Johannis Bauhini nil quidem continet, quod plantae nostrae deficiat, sed non tam completa

rosam hispidam simul cum rosa pumila crescentem inveni.

Radices rosae pumilae repentes saepe agros more rubi caesii ita obducunt, ut segeti necem parent. Plurimi quidem caules hieme frigida extinquuntur, sed vere immensa eorum copia de novo provenit. Inde fit, ut haec rosa frequenter caule simplicissimo reperiatur. Ea pars radicis, quae turiones sub terra repentes protrudit, saepe diametrum longitudine dimidii pedis attingit.

17. Rosa sempervirens.

Calycis tubo oviformi pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis ovalibus, rigidis, utrinque glaberrimis, supra nitidis, simpliciter serratis; caule petiolisque glandulosis aculeatis.

R. sempervirens, germinibus ovatis, calycibus pedunculisque hispidis, caule petiolisque aculeatis, floribus subumbellatis,

bracteis lanceolatis reflexis. Ait. Kew. 2. p. 205. Lin. sp. pl. ed. Willd. p. 1072. Pers. syn. pl. 2. p. 49. Sprengels Gartenzeit. 4. p. 131. n. 5.

R. sempervirens, germinibus globosis pedunculisque hispidis, caule petiolisque aculeatis; floribus subumbellatis. Lin. syst. veg. p. 394. sp. pl. 704. n. 9. Houttouyn Pfl. syst. 3. p. 868. Hoffm. Taschenb. 1 Aufl. p. 175. J. v. Seenus Reise nach Istrien und Dalmatien. p. 46. n. 7.

R. sempervirens, germinibus globosis pedunculisque hispidis: caule petiolisque aculeatis: foliolis lanceolatis subcarnosis, perennantibus. Du Roi Harbk. Baumz. 2. p. 358.

R. moschata sempervirens, C. B. pin. 482.

R. sempervirens Clusio. J. Bauh. hist. 2. p. 48. Raii hist. pl. 2. p. 1474.

Germ. Immergrüne Rose.

Gall. Rosier toujours verd.

Floret Junio.

esse non potest. Inde fit, ut uterque corymbus lateralis bracteis duabus communibus suffultus esse videatur. Praeterea in utroque corymbo pedunculi laterales duabus bracteis propriis praediti sunt. Bracteae ovato-lanceolatae, utrinque glabrae, glanduloso-ciliatae. Calycis tubus oviformis, glaber, coloratus. Laciniae calycinae ovato-lanceolatae, longe acuminatae, apice paululum dilatatae, glandulosae, appendiculatae: appendicibus lanceolatis, glanduloso-denticulatis.

Hanc rosam, quam D. Dr. Nees ab Esenbeck apud Mainstockheim prope Kitzingen sponte crescentem invenit, nonnisi siccam vidi in ejusdem herbario vivo, unde venit, ut nec fructus nec fruticis altitudinem determinare possim.

Rosa psilosophylla nostra cum rosa umbellata, quae in prima editione florae Hàllensis Leyseri p. 435. occurrit, in secunda vero editione ad rosam caninam tanquam varietas refertur, omnino congruit, exceptis foliolis subtus pubescentibus, quae de rosa umbellata Leyseri praedicantur. Descriptio Leyseri haec est: „Statura omnibus sociis major. Caulis aculeatus, aculeis recurvis. Folia pinnata: foliolis quinis, infra pubescentibus, supra subnudis. Pedunculi breves, umbellati, terminales, scabri, tres, laterales trifidi, triflori, intermedius uniflorus. Bracteae ad basin pedunculorum ovato-lanceolatae. Calycis foliola saepius duplicato-pinnata".

Cum rosa canina rosam nostram psilophyllam in unam eandemque speciem conjungere principiis botanicis contrarium foret, nam haec ab ea differt

1) foliolis ovalibus basi rotundata, nec basi apiceque acutis;

2) petiolis villosis;
3) cyma trifida;
4) pedunculis glanduloso-hispidis.

Nomen rosae psilophyllae a foliolis subtus glabris, eglandulosis, quibus a rosa umbellata Leers, cui simillima, differt, derivavi, et composui e vocabulis graecis ψιλος, glaber, nudus, et φυλλον folium. Nomen Germanicum „geruchslose Schirmrose" huic rosae impertitus sum, ut distinquatur a rosa umbellata Leers, quae ob foliola odorata, quae nostrae psilophyllae desunt, wohlriechende Schirmrose appellatur.

14. Rosa arvina.

Calycis tubo oviformi glabro, pedunculis hispidis; foliolis ovalibus utrinque glabris, duplicato-argute-serratis; petiolis subpubescentibus glanduloso-hispidis aculeatis; caule inferne inermi super-

ne aculeato: aculeis rectiusculis, raris substipularibus.

Rosa arvina Krocker fl. siles. 2. p. 150. n. 787.

Germ. Bergrosen, Haberrosen.
Floret Jun. Jul.

Frutex pedalis raro altior, inferne inermis, superne aculeatus. Aculei rectiusculi, substipulares, solitarii vel gemini. Petioli pube rarissima praediti, glandulis stipitatis fere obvallati, subtus aculeati: aculeis recurvis. Stipulae basi angustae, integerrimae, apicem versus dilatatae denticulatae, utrinque glabrae, margine glanduloso-ciliatae. Foliola quina ovalia partim acuta partim obtusa, supra viridia, subtus pallidiora, subglaucescentia, utrinque glabra, nervo primario glabro glanduloso, duplicato-serrata: serraturis rubro-marginatis, glandulis stipitatis terminatis. Pe-

dunculi solitarii, rarius bini, glanduloso-hispidi. Calycis tubus oviformis glaber, subcoloratus. Laciniae calycinae ovato-lanceolatae, intus et limbo tomentosae, glanduloso-hispidae, appendiculatae: appendicibus lineari-lanceolatis, glanduloso-denticulatis. Petala purpurascentia, odora, cordata. Fructus ovatus glaber.

Ad margines agrorum prope Retzbach una cum rosa pumila cujus varietas esse videtur, inveni rosam arvinam.

Discrepat a rosa marginata Wallroth (An. bot. p. 68. n. 136.)

1) foliolis ovalibus, nec ovato oblongis, ut in rosa marginata;
2) laciniis calycinis appendiculatis. In rosa marginata subintegrae sunt;
3) corolla purpurascente, nec incarnata, uti in rosa marginata.
4) caule superne aculeis rarioribus mu-

nito. Rosae marginatae caulis superne aculeis copiosis obvallatus.

Rosa arvina proxima rosae pumilae, tamen diversa

1) Calycis tubo glabro;
2) caule superne aculeis rarioribus substipularibus munito;
3) foliolis utrinque glabris.

††† Tubo calycis pedunculisque hispidis.

15. Rosa centifolia.

Calycis tubo oviformi pedunculisque hispidis; foliolis ellipticis, obtusis, utrinque pubescentibus, simpliciter serratis: serraturis ciliatis; petiolis villosis glandulosis subinermibus; caule hispido aculeato.

R. centifolia, germinibus ovatis pedunculisque hispidis, caule hispido aculeato: petiolis inermibus. Lin. sp. pl. ed. Willd. 2. p. 1071. Berl. Baumz. p. 393. Marsch. a Bieberts. fl. Cauc. 1. p. 397. n. 976.

R. centifolia, calycibus semipinnatis: germinibus ovatis pedunculisque hispidis, caule hispido aculeato: petiolis glandulosis: foliolis ovatis serratis subtus pilosis. Du Roi Harbk. Baumz. 1. Aufl. 2. p. 367.

R. centifolia multiplex media. C. Bauh. pin. 482.

R. centifolia batavica, 2. Clus. hist. 1. p. 414. J. Bauh. hist. 2. p. 38.

Germ. Hundertblättrige Rose (Centifolienrose, gemeine Gartenrose, wohlriechende Rose).

Gall. Rosier à cent feuilles.

Frutex 3—4. pedalis et altior. Rami teretes, aculeis inaequalibus muniti. Petioli villosi, intermixtis aliquot glandulis sessilibus, plerumque inermes, rarissime aculeolis praediti, basi connati stipulis lanceolatis, ciliatis, utrinque pubescentibus, supra saturate viridibus, subtus pallidioribus. Foliola terna, quina, rarius septena, elliptica, obtusa, utrinque pubescentia, praesertim ad nervos primarios venasque, su-

pra saturate viridia, subtus pallidiora, argute simpliciter serrata: serraturis ciliatis, basin versus decrescentibus demumque evanescentibus. Pedunculi terminales, elongati, solitarii vel bini, terni, glanduloso-hispidi. Calycis tubus oviformis, glanduloso-hispidus. Laciniae calycinae appendiculatae, glanduloso-hispidae, intus tomentosae, Flores semper pleni, ideoque fructus non determinandus.

Secundum floram wirceburgensem in vineis reperitur.

Rosae centifoliae patria diu incognita erat; donec Marsch. a Bieberst. eam in Persia septentrionali indigenam esse, nos doceret. Nihilo tamen secius rosam centifoliam enumerationi meae inserere non dubitavi, quod apud nos sine omni cultura in vineis crescit, adeoque quodammodo tanquam apud nos indigena considerari potest.

16. Rosa pumila.

Tubo calycis oviformi pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis ovalibus duplicato-glanduloso-serratis, subtus discoloribus, pubescentibus; petiolis glandulosis aculeatis; caule superne aculeato: aculeis sparsis, inaequalibus.

R. pumila, germinibus ovatis, petiolis pedunculisque hispidis, caule superne aculeatissimo. Lin. supl. 262. Jacq. aust. 2. p. 59. t. 198. Franc. v. Paula Schrank baier. fl. 2. p. 40. n. 776.

R. pumila, germinibus ovatis pedunculisque hispidis, petiolis cauleque aculeato, foliis subtus glaucis, serraturis glandulosis, fructibus pyriformibus. Ait. Kew. 2. p. 206. Hoffm. Taschenb. 2. Aufl. p. 229. Marsch. a Bieberst. 1. p. 397. n. 977. Röhling Deutschl. Flora 2. Ausg. 2. p. 294.

R. pumila, germinibus pyriformibus pedunculisque petiolisque glanduloso-hispidis, foliolis quinis rigidis supra nitidis: serraturis glandulosis. Wahlenberg fl. Caucas. p. 150. n. 491.

R. pumila, Mit fast birnförmigen rauhen Früchten und Blumenstielen, rauhen und stachlichten Blattstielen, stachlichtem Stamme, eiförmig rundlichen, unten bläulichen sägezähnigen Blättern, mit drüsigen Sägezähnen und langen haarigen Griffeln. Borkh. Forstb. 2. p. 1321. n. 480. Bechstein p. 24.

R. austriaca, germinibus ovatis, pedunculisque hispidis, petiolis medioque caule aculeatis. Crantz. austr. p. 86.

R. austriaca, calycibus semipinnatis, germinibus ovatis, pedunculisque hispidis, caulibus subunifloris. Poll. fl. pal. 2. p. 30. n. 484.

R. gallica, fl. wirc. supl. p. 43.

R. pumila pannonica, flore rubello Clusii. J. Bauh. hist. 2. p. 35.

R. sylvestris rubella parvo frutice. J. Bauh. hist. 2. p. 35.

R. sylvestris pumila rubens. C. B. pin. 483.

R. pumila rubra. Park. Raii hist. 2. p. 1469. n. 6.

R. repens; foliolis septenis lanceolato-acutis, petiolis spinosis. Münchh. Hausv. 5. p. 281. n. 14.

Germ. Zwergrose (östreichische Rose, Erdrose, niedrige Rose, Acker- und Rainrose, Staudenrose, kleine Haidenrose.)

Floret Junio.

Frutex 1—1½—2′ pedalis, caule saepe simplici, non raro basi ramoso, erecto, superne aculeato, inferne aculeis evanidis cicatrisato et quasi verrucoso. Aculei subulati, plurimi recti, pauciores validiores, recurvi, intermixtis glandulis stipitatis. Petioli pubescentes, glanduloso-hispidi: glandulis fuscis, subtus aculeolati, connati stipulis lanceolatis integerrimis, supra glabris, subtus pubescentibus, glandulosis margine glanduloso-ciliatis. Foliola inferiora quina, summa terna, plerumque conniventia et reclinata, ovalia partim acuta, partim obtusa, infima obovata, satis rigida, supra glabra, viridia, subtus glaucescentia;

pubescentia venoso rugulosa, ad nervos primarios glandulosa, venis rubiginosis eglandulosis vel rarissimis glandulis adspersis, duplicato-serrata: serraturis argutis glandulosis. Frutex pauciflorus; saepe unico flore caulem terminante. Pedunculi solitarii, vel bini, terni, ramos vel caulem terminantes calycisque tubus oboviformis, setis glandulosis tecti. Laciniae calycinae lanceolato-attenuatae, nec apice dilatatae glandulosae corollam subaequantes, appendiculatae: appendicibus lanceolatis, glanduloso denticulatis, frequentibus. Corolla speciosa colore purpurascente plus minusve saturato, unque et extus albida, suaveolens, in diametro duas uncias metitur. Fructus pyriformes hispidi, rubri vel parum aurantiaci, nitidi plerumque tota hieme stirpi inhaerent.

In agris, ad margines vinearum.

Hexenbruch, Sikershausen, Mainbernheimerwäldchen, Versbach.

β) *hispida*.

Calycis tubo, laciniis calycinis petala superantibus pedunculisque aculeato-hispidis; aculeis caulinis validioribus, corolla saturate purpurea, holoserico-micante, duplo minori, caule superne ramoso crassiori.

R. hispida, spinosissima, pedunculis germinibusque hispidis, foliis obovatis ternis vel quinis glabris obtuse-serratis, foliolis calycis florem superantibus. Münchh. Hausv. 5. p. 281. n. 15.

R. hispida, aculeatissima; pedunculis germinibusque hispidis; foliolis obovatis quinis ternisve glabris, obtuse serratis; petalis calyce brevioribus. v. Schrank. baier. Fl. 2. p. 41.

R. pumila, tubo calycis demum pyriformi pedunculisque dense muricatis, foliolis ovatis subtus glaucescentibus, ramis cicatri-

satis subinermibus decumbentibus, ramulis adscendentibus aculeatissimis. Wallr. An. bot. p. 62. n. 130.

Rami pedales et longiores, prostrati, pennae anserinae crassitie, impliciti, teretes, basi radicantes, partim aculeis inaequalibus, partim aculeorum evanidorum residuis obsiti. Aculei majores recurvi, mixti aliis minoribus subulatis rectiusculis. Ramuli floriferi adscendentes, plures ex eodem ramo, dum florent, digitales, dodrantales et altiores, erecti, foliosi, inferne dilute virides, superne rubicundi, toti aculeatissimi, setis glanduliferis copiosis intermixtis. Petioli pubescentes, glandulis tecti, subtus aculeolati, connati stipulis angustissimis, lanceolatis, undique glandulosis margine glanduloso-ciliatis. Foliola quina, summa et infima terna, o r b i c u l a t o - o v a l i a, partim acuta, partim obtusa, supra laete viridia, glabra, s u b t u s s u b v i l l o s a, discolo-

ra, magis glandulosa, serrata: serraturae plurimae duplicato-argute-serratae, omnes margine frequentissimis glandulis vestitae. Pedunculi ramulos terminantes, solitarii, foliis subaequales, uniflori. Calycis tubus oboviformis laciniaeque setis rigidis copiosissimis glanduliferis, aculeolisque setaceis purpureis dense muricati, rubicundi. Laciniae calycinae lanceolato-attenuatae, petala saturate purpurea, holosericeo-micantia fere superantes. Fructus magni pyriformes.

In agris desertis ad marginem sylvae Zellensis hanc varietatem cum rosa pumila legi.

Rosam repentem Münchhausen eandem esse cum nostra pumila, et rosam hispidam ejusdem cum nostra hispida, ex descriptionibus illius patet. Nam Münchhausen rosam repentem his describit verbis:

„So nenne ich eine in Franken im Itzgrunde gefundene artige Rose, welche niedrig auf der Erde wegkriechet, und schöne groſse hochroth leuchtende Blumen, hat, denen runde scharfe Früchte folgen. Die Blättchen sind glatt, länglicht und membranös. Ich vermuthe, daſs die Rosa rupestris Cranz. Austr. p. 32. und rosa pumila rubra, Park. die nämliche sey." Post haec sequitur rosa hispida, cum definitione et sequente descriptione: „Ist eine andere von mir neben der vorigen in Franken gesammelte besondere Art, welche schöne dunkel purpurfarbene, wie ein Sammt scheinende Blumen hat, die Einschnitte der Blumendecke haben zweiästige Anhänge, die Früchte sind oval und stachlicht. Sie wächst nicht über zwei bis drei Schuh hoch. Vermuthlich ist Rosa austriaca, Crantz. p. 36. die nemliche." Praeterea opinio mea etiam eo confirmatur, quod et ego ipse

contendere non audeo, ob iconis pedunculos binos, qui in rosa spinosissima constanter solitarii reperiuntur. Aculei quidem rariores, qui in icone Tabern. conspiciuntur, mihi non obstarent, quia rosa spinosissima aetate aculeos plus minusve deponit, imo tota inermis invenitur.

21. Rosa umbellata.

Calycis tubo oviformi glabro, pedunculis hispidis; foliolis pubescentibus subtus dense glandulosis, duplicato-serratis; petiolis subvillosis cauleque aculeatis; floribus cymosis; cymae trifidae ramificationibus aculeis rectis confertissimis muricatis.

R. umbellata, germinibus ovatis glabris capitatis subumbellatis, caule aculeato. Leers fl. herborn. p. 119. n. 380. Wetter. fl. 2. p. 226. n. 643.

R. umbellata, germinibus subovatis subglabris, floribus umbellato-corymbosis, pedunculis ramosis hispidis, petiolis aculeatis

glandulosis, caule aculeato. Gmel. fl. Bad. 2. p. 425.

R. umbellata, Mit glatten oder etwas rauhen Fruchtknoten, rauhen und ästigen, in Dolden stehenden Blumenstielen, drüsigen gefiederten Kelchabschnitten, kurzen Griffeln, drüsigen stachlichten Blattstielen, eiförmig spitzigen, doppelt gesägten, auf den Sägezähnen mit Drüsen besetzten, oben behaarten, unten drüsigen Blättern und stachlichtem Stamme. Borkh. Forstb. 2. p. 1330. n. 485. (exclusis synonymis Leyser, rosa scandens Mönch et rosa sempervirens Lin.) Bechst. Forstb. p. 1045. et p. 242. n. 157.

R. sempervirens, Roth fl. Germ. 1. p. 218. n. 6. 2. p. 536. (exclusis synonymis), Wibel fl. Werth. p. 350.

Germ. Wohlriechende Schirmrose (grose Weinrose).

Gall. Rosier à fleurs en ombelle.

Floret Jun. Jul.

Frutex 4 — 5 pedalis, ramosisissimus, robustus, aculeatus. Aculei substipulares, recurvi, validissimi. Petioli

glandulosi, subvillosi, aculeati. Stipulae utrinque glabrae, apice obliquae, acutae, margine glanduloso-ciliatae, glandulis purpureis subtus undique adspersae. Foliola inferiora septena, superiora quina, suprema terna, ovata, interdum basi subcordata, $\frac{5}{4}$ pollicem longa, $\frac{3}{4}$ pollicem lata, supra pubescentia, saturate viridia, subtus magis pubescentia, glandulis pellucidis, e quibus odor vinosus effluit, undique adspersa, non nunquam perennantia, duplicato-serrata: serraturis glandulosis, Flores 6—11 cymosi. Cyma trifida tot bracteis communibus, quot pedunculi laterales, suffulta: pedunculo centrali unifloro breviore, crassiore ebracteato, lateralibus adhuc bracteis duabus propriis glanduloso-ciliatis praeditis. Non solum omnes pedunculi sed omnes quoque ramificationes cymae trifidae aculeis confertissimis

tenuioribus rectis obvallatae. Calycis tubus suboviformis, glaber vel basi hispidulus. Laciniae calycinae lanceolatae, glandulis pedicellatis viscidis obsessae, appendiculatae: appendicibus lanceolatis, glanduloso-denticulatis. Corolla parva, quoad altitudinem fruticis, roseo-purpurea, unque flavo albidoque, calyce brevior. Fructus primo suboviformis demum subglobosus, mature nigricans, glaber.

Inveni hanc rosae speciem prope Wirceburgum.

Roth, Wibel, Bechstein aliique confundunt cum rosa sempervirente Lin. syst. pl. t. 2. p. 528. rosam umbellatam Leers, quae tamen ab ea diversa.

1) foliolis pubescentibus subtus glandulosis, rotundioribus, minus acuminatis, duplicato-serratis, odoratis;

2) floribus cymosis, cyma trifida;

Differt a rosa rubiginosa β triflora·

1) cyma trifida;

2) ramificationibus cymae aculeis confertissimis rectis obvallatis;

3) foliolis rotundioribus, minus acuminatis et amplioribus;

4) aculeis ramulorum turionumque substipularibus, nec confertissimis uti in rosa rubiginosa;

5) caule robustiori, minus aculeato.

Fere non dubitandum est, quin rosa umbellata multo rectius, quam rosae rubiginosae varietates γ, δ, ε, rosae rubiginosae adnumeranda sit; nam illa praeter inflorescentiam et cymae ramificationes aculeis rectis obvallatas ab hac parum differt. Imo observavi in rosae rubiginosae varietate parvifolia nonnunquam ramulos sub floribus aculeolis rectis confertissimis pari modo munitos. Affinitatem rosae umbellatae cum rosa rubiginosa jam Leers et Dr. Wallroth, qui in Anno suo botanico p. 65. quaerit, an rosa umbel-

lata Leers referenda sit ad synonyma rosae triflorae Willd. animadvertisse videntur. Ego quidem suspicor, rosam rubiginosam continere plures varietates, scilicet vulgarem, trifloram Willd., rosam umbellatam Leers, et trifloram Wallr. quae calycibus pedunculisque glabris distinguitur, et caeteras rosae rubiginosae varietates γ, δ, ε, constituere propriam speciem, forte resinosam nominandam, distinctam foliolis rotundo-ovatis, subtus resinoso-rubiginosis, germinibus subglobosis, floribus, foliolis et fructibus ultra duplum minoribus. Nec dubito, quin adhuc rosae resinosae varietas calycis tubo pedunculisque glanduloso-hispidis praedita reperietur, ita, ut deinde utraque species in tres dividenda foret sectiones, quarum prima calycis tubo pedunculisque hispidis, altera calycis tubo glabro pedunculis hispidis; et tertia calycis tubo pedunculisque glabris distinguenda esset. Nam ro-

sae rubiginosae et resinosae nisus quidam, calycis pedunculorumque glabritie et hispiditate variandi, inesse videtur. Ut docear, an me fefellerim, nec ne; rosae rubiginosae varietates γ, δ, ε, in hortum transplantavi, et nunc culturae effectum exspecto.

Leers dubitat, an rosa umbellata Leyseri fl. hall. edit. 1. huc pertineat, nec ne. Sed cum Leyserus ipse rosam suam umbellatam in secunda editione ad rosam caninam referat, inde elucet, foliola rosae umbellatae ejus in pagina inferiore omnibus carere glandulis, adeoque rosam umbellatam Leers ab umbellata Leyseri diversam esse.

Auctores florae Wetter. confundunt rosam umbellatam Leers cum rosa sempervirente Lin. et cum rosa fusca Moench, quanquam descriptio Moenchi nullam contineat notam, quae rosae umbellatae tribui possit.

Rosa umbellata Leers variat in hortis flore semi-pleno (Rosa sylvestris odorata flore multiplici Lobelii, rosa eglentina fl. pleno. J. Bauh. hist. 2. p. 43. icon.)

22. Rosa farinosa.

Calycis tubo oviformi pedunculisque superne glabris; foliolis ovalibus utrinque villosis mollissimis, duplicato-serratis; petiolis tomentosis cauleque aculeatis: aculeis rectiusculis.

R. ſarinosa, Mit rundlich eiförmigen glatten Früchten und Blumenstielen, eirunden, spitzigen, scharfgeſägten, oben kurzhaarigen und feinrunzlicheu, unten weich und dichthaarigen, grüngrauen Blättchen, und ſast gerade stachlichtem Stamme. Bechst. Forstb. p. 243. n. 159. und p. 1046.

Germ. Mehlrose.

Frutex 3—5 pedalis, ramosissimus. Caules virides, aculeis validis rectis,

rami ramulique juniores splendentes virides aculeis tenuibus rectiusculis paululum deflexis armati, in summitate fere inermes. Petioli albo-tomentosi, glandulis adspersi, subtus aculeolati. Stipulae lanceolatae, acuminatae, supra glabrae, subtus dense villosae intermixtis glandulis, margine glandulosae. Foliola septena, quina, terna, ovalia partim acuta, partim obtusa, nonnunquam oblongo-ovalia, utrinque incano-villosa, mollissima, supra sericeo-nitentia, subtus ad nervum venasque glandulosa, duplicato-serrata: serraturis glandulosis et ciliatis. Pedunculi terminales, 1—3 corymbosi, superne glabri, basi pubescentes. Corymbus folio ternato et bractea suffultus, pedunculi laterales bracteis duabus propriis praediti. Bracteae ovato-lanceolatae, supra pubescentes, subtus villosae, margine glandulosae. Calycis tubus oviformis, glaber. Laciniae

calycinae ovatae attenuatae, intus et limbo tomentosae, eglandulosae, appendiculatae: appendicibus lanceolatis, utrinque attenuatis, glanduloso-denticulatis. Petala $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ pollicem longa pallide rosea, unque albida, emarginata, calycem paululum superantia. Fructus globoso-oviformis, turgidus, obscure ruber.

Michelfelderwäldchen bei Mainbernheim.

Rosa farinosa proxima rosae hispidae Borkhausen, tamen diversa calycis tubo glabro, et pedunculis inferne pubescentibus, superne glabris. Rosa hispida Borkh. eadem est cum rosa villosa Pollich fl. palat. et cum rosa villosa Leers fl. herborn., uti ex descriptionibus horum auctorum abunde patet. Diu rosa hispida cum rosa villosa confundebatur, donec Borkhausen primus eam separaret. Per-

suadere mihi non possum, rosam hispidam esse meram rosae villosae varietatem, ut aliqui botanici credunt, cum non solum calycis tubo oviformi, sed etiam alio habitu álioque crescendi modo distinquantur.

†† Tubo calycis globoso.

23. Rosa villosa.

Calycis tubo globoso glabro hispidove, pedunculis glanduloso-hispidis; foliolis ellipticis duplicato-glanduloso-serratis, subtus glandulosis, petiolisque aculeolatis undique tomentosis; aculeis caulinis rectiusculis.

Germ. Wollige Rose (Rauhe Rose, Grosse Hagebüttenrose, Wiepen, Wieken, Rosenäpfel, Apfelrose, Rauhe Apfelrose, Zottige Rose.)

Gall. Rosier pomifère. Rosier velu.

α) vulgaris.

Calycis tubo globoso pedunculisque hispidis.

R. villosa, germinibus globosis aculeatis, pedunculis hispidis, caule aculeis sparsis, petiolis aculeatis, foliis tomentosis, Lin. sp. pl. 1. p. 704. Scholler fl. Barb. p. 120. n. 402. Mönch fl. hass. p. 254. n. 420. Roth fl. germ. 2. p. 536. 1. p. 217. n. 5. Retz. observ. 1. p. 19. Houttuyn. Pfl. syst. 3. p. 667. Münchhaus. Hausv. 5. p. 276. n. 4. Lin. sp. pl. ed. Willd. 2. p. 1069. Hoffm. Taschenb. 1. Aufl. p. 175. 2. Aufl. p. 229. Kröcker fl. siles. 2. p. 144.

R. villosa, calycibus semipinnatis: germinibus globosis pedunculisque hispidis: caule petiolisque aculeatis: foliolis ovatis tomentosis. Du Roi Harbk. Baumz. 1. Aufl. 2. p. 341.

R. villosa caule petiolisque aculeatis: foliis pinnatis: pinnis ovatis duplicato-serratis utrinque villosis: pedunculis calycibusque setis glandulosis. Mönch. meth. p. 688.

R. villosa, fructibus globosis pedunculisque hispidis, aculeis caulinis rectiusculis, foliolis ellipticis utrinque tomentosis. Smith

fl. Britt. 2, p. 558, fl. wirc. 1, p. 517. n. 5. Sprengel fl. hall. p. 145. Ejusd. Gartenz. 4. p. 136. n. 34.

R. villosa, Fructus globosi pedunculique hispidi. Petioli tomentosi, aculeati. Folia ovata, acuta, utrinque villoso-tomentosa. Caulis aculeis sparsis validis incurvis obsessus: Flores subsolitarii. Wibel fl. Werth. p. 264. n. 4.

R. villosa, germinibus globosis pedunculisque hispidis, aculeis caulinis rectiusculis, stipulis glandulosis, foliolis ovalibus utrinque villosis. Wahlenb. fl. Carpath. p. 151. n. 494

R. villosa, caule aculeato, aculeis rectiusculis, foliolis ellipticis duplicato-serratis acutis, utrinque tomentosis, petiolo communi receptaculisque aculeatis, calycibus pedunculisque glanduloso-hispidis. Kunth fl. berol. p. 139. n. 1.

R. villosa, calycis tubo globoso pedunculisque hispidis, caule aculeis magnis rectiusculis horrido, foliolis ellipticis duplicato-glanduloso-serratis petiolisque aculeolatis, undique tomentosis. Wallr. An. bot. p. 61.

R. pomifera, germinibus globosis aculeatis, pedunculis hispidis, caule aculeis sparsis, petiolis aculeatis, foliis tomentosis. Gmel. fl. Bad. 2. p. 410. Röhling Deutschl. Fl. 2. Aufl. 2. p. 293. Borkh. Forstb. 2. p. 1315. n. 478.

R. pomo spinoso, folio hirsuto. Joh. Bauh. hist. 2. p. 38.

R. sylvestris pomifera major. C. Bauh. pin. 357.

Guimpel Abbild. deutsch. Holz. 15. Heft. t. 88.

Frutex 4 pedalis et altior, erectus, ramosus, ramis erectis brevibus. Aculei caulini rectiusculi, substipulares, saepius gemini. Petioli tomentosi, aculeati, glandulosi, connati stipulis utrinque tomentosis, glanduloso-ciliatis. Foliola quina, septena, elliptica, acuta vel obtusa, utrinque tomentosa, subtus glandulis inspersa, duplicato-serrata; serraturis secundariis rarissime glandulis terminatis. Pedunculi terminales, 1—6 corymbosi, bracteis tum communibus tum

propriis more solito suffulti, glanduloso-hispidi. Calycis tubus globosus laciniaeque oblongo-lanceolatae glanduloso-hispidae, appendiculatae: appendicibus parcis, glanduloso-ciliatis. Petala pallide rubella, unquibus lutescentibus, obtusa, apice biloba. Fructus globosus, calyce coronatus, sanquineus, muricatus.

β) *mollissima.*

Calycis tubo globoso, glabro, pedunculis hispidis.

R. mollissima germinibus subglobosis glabris, pedunculis hispidis, caule petiolisque aculeatis, foliis tomentosis. Willd. prod. fl. Berol. n. 1237. Röhling Deutschl. Fl. 2. p. 293.

R. mollissima, germinibus subglobosis glabris, pedunculis hispidis, caule petiolisque aculeatis; foliis utrinque villoso-sericeis mollissimis. Gmel. fl. Bad. 2. p. 409. Borkhausen Forstb. 2. p. 1314. (Sanfthaarige Rose.)

R. villosa var. β. mollissima. Roth fl. germ. 2. p. 556. Lin. sp. pl. ed. Willd. p. 1070.

R. dubia. Fructus globosi glabri pedunculis hispidis. Stipulae petiolique tomentosi, aculeati. Folia ovata, acuta utrinque villoso - tomentosa. Caulis aculeis sparsis stipularibusque geminis subulatis subincurvis munitus. Flores subcymosi. Wibel fl. Werth. p. 263. et addit. p. 350.

Hujus varietatis Borkhausen (forstbotanische Beschreibung der in der Obergrafschaft Catzenelnbogen einheimischer Holzarten) et Willdenowius in prodromo suo florae berolinensis n. 1237. sub dignitate speciei propriae primi mentionem faciunt, quam opinionem vero Wildenowius postea merito mutavit, referens eam ad varietates rosae villosae, cum saepius in eodem frutice calycis tubus glaber simulque hispidus reperiatur.

Notatu mihi dignum videtur, me hanc varietatem invenisse, pedunculis tribus

terminalibus; quorum intermedius ultra dimidium minor, quam duo laterales, ebracteatus, laterales bracteati erant. In hoc specimine floris intermedii laciniae calycinae appendiculatae, appendiculatae, apice foliosae et ampliores, tubusque duplo fere major, quam tubi florum lateralium, quorum laciniae apice dilatatae et subsimplices. Haec observatio me monet cymae trifidae rosae umbellatae. Similem varietatem inflorescentiae Wibel rosam suam dubiam definiens ante oculos habuisse videtur.

γ) *minuta.* R.

Calycis tubo subgloboso pedunculisque hispidis; foliolis oblongo-ovatis fructuque duplo minoribus.

Haec varietas prope Wirceburgum multo frequentior, quam varietates *α* et *β*.

Quodsi varietates rosae villosae cum varietatibus rosae rubiginosae conferas, invenies, utramque seriem sibi invicem respondere. Nimirum rosa villosa vulgaris respondet rosae rubiginosae vulgari, rosa villosa mollissima rosae rubiginosae triflorae et rosae umbellatae; demum rosa villosa minuta rosae rubiginosae varietatibus γ, δ, ε, quae omnes in eo consentiunt, quod omnes earum partes sunt multo minores.

24. Rosa lutea.

Calycis tubo globoso glabro, pedunculis pubescentibus; laciniis calycinis glanduloso-hispidis; foliolis obovatis, basi attenuatis concoloribus supra glabris, subtus glandulosis, subtriplicato-serratis; petiolis pubescentibus inermibus; ramulorum aculeis rectis.

R. foetida, Herm. Diss. de Rosa. p. 57.

R. lutea, germinibus globosis pedunculisque glabris, calycibus petiolisque spinulosis, aculeis ramorum rectis. Ait. Kew. 2.

p. 200. Lin. sp. pl. ed. Willd. p. 1064. n. 2. Hoffm. Taschenb. 2. Aufl. p. 228. Gmel. fl. Bad. 2. p. 403. Schweigger et Körte fl. Erl. p. 121. n. 1. fl. wirc. 1. p. 514. n. 1. Wetter. fl. 2. p. 220. n. 638. Sprengel fl. hall. p. 145. n. 557. Ejusd. Gartenz. 4. p. 134. n. 25.

R. lutea, calycibus semipinnatis, germinibus globosis pedunculisque glabris: foliolis ovatis glabris serratis, serraturis petiolisque villosis glandulosis. Du Roi Harbk. Baumz. 2. p. 344.

R. lutea, caule aculeato, foliis pinnatis, foliolis ovatis serratis utrinque glabris, pedunculis brevissimis. Mill. Münchh. Hausv. p. 289. n. 27.

R. lutea, caule aculeato: aculeis rectis: foliis pinnatis pinnis ovatis serratis glabris: petiolis villosulis; pedunculis calycibusque glabris: laciniis calycinis villosis. Mönch meth. p. 688.

R. lutea tubo calycis globoso pedunculisque glabris, calycibus petiolisque spinulosis, aculeis ramorum rectis. Wallr. p. 60. n. 127.

R. lutea Joh. Bauh. hist. 2. p. 47.

R. lutea simplex C. Bauh. pin. 483.

R. lutea Dodon. pempt. p. 187. n. 8.

R. Eglanteria, germinibus globosis pedunculisque glabris, caule aculeis sparsis rectis, petiolis scabris, foliolis acutis. Lin. sp. pl. 703. Scholler fl. Barb. p. 120. n. 399. Houttuyn Pfl. syst. 3. p. 664. Retz observ. 1. p. 20. Leyser fl. hall. n. 489. Mönch fl. hass. n. 418. Hoffm. Taschenb. 1 Aufl. p. 174. Roth fl. germ. 1. p. 217. 2. p. 553. Pers. syn. pl. 2. p. 47. Krocker fl. siles. 2. p. 139.

R. eglanteria. Fructus globosi cum pedunculis glabri. Petioli piloso-scabri, foliolis ovato-oblongis, glabris. Caulis aculeis sparsis rectis armatus. Flores solitarii. Wibel fl. Werth. p. 263. n. 1.

R. chlorophylla, foliis obovatis duplicato serratis glandulosis glutinosis nitide-virentibus, petiolis aculeatis, stipulis serraturis glandulosis, pedunculis glabris, germinibus subglosis glabris, laciniis calycinis semipinnatis glanduliferis, Ehrh. Beitr. 2. p. 69. Borkh. Forstb. 2 p. 1310. n. 475.

Germ. Gelbe Rose (einfarbige Balsamrose, Weinrose, wohlriechende Rose, Wanzenrose.)

Gall. Rosier à fleurs jaunes. Rosier églantier.

Guimpel Abbild. deutsch. Holzart. 14. Hft. t. 84.

Frutex attingit altitudinem decem pedum, sarmentis multis, quae e radice sub terra repente oriuntur, luxurians. Rami teretes, fusci, aculeis rectis sparsis subulatis armati. Petioli pubescentes, rarissimis glandulis intermixtis, fere semper inermes, subtus rarissime aculeolo praediti, basi connati stipulis lanceolatis glanduloso-ciliatis. Foliola quina aut septena, obovata vel ovalia basi attenuata, profunde duplicato-nonnunquam triplicato-serrata, serraturis glandulosis, supra laevia, glabra, nitida, viridia, subtus concolora, nervo primario venisque pubescentibus glandulosis, digitis trita odorata. Pedunculi

terminales solitarii aut bini pubescentes. Calycis tubus globosus glaber. Laciniae calycinae lanceolatae, petalis breviores, appendiculatae, intus tomentosae margine lanatae extus glanduloso-setosae. Corolla speciosa, flava, facile decidua, odorem cimicinum redolens. Fructus globosus, glaber, ruber.

R. lutea et rubiginosa a pluribus auctoribus e. g. ab Hallero in hist. stirp. Helv. 2. p. 39. n. 1103. et Leys. fl. Hall. ob foliola odorata, subtus rubiginosa, in unam conjunguntur speciem sub nomine rosae eglanteriae.

Appendix.

Rosa agrestis.

Calycis tubo subgloboso pedunculisque hispidulis, foliolis rotundis obtusis, aequaliter dentatis subtus venosis albide

fl. Britt. 2, p. 558, fl. wirc. 1, p. 517. n. 5. Sprengel fl. hall. p. 145. Ejusd. Gartenz. 4. p. 136. n. 34.

R. villosa. Fructus globosi pedunculique hispidi. Petioli tomentosi, aculeati. Folia ovata, acuta, utrinque villoso-tomentosa. Caulis aculeis sparsis validis incurvis obsessus: Flores subsolitarii. Wibel fl. Werth. p. 264. n. 4.

R. villosa, germinibus globosis pedunculisque hispidis, aculeis caulinis rectiusculis, stipulis glandulosis, foliolis ovalibus utrinque villosis. Wahlenb. fl. Carpath. p. 151. n. 494

R. villosa, caule aculeato, aculeis rectiusculis, foliolis ellipticis duplicato-serratis acutis, utrinque tomentosis, petiolo communi receptaculisque aculeatis, calycibus pedunculisque glanduloso-hispidis. Kunth fl. berol. p. 139. n. 1.

R. villosa, calycis tubo globoso pedunculisque hispidis, caule aculeis magnis rectiusculis horrido, foliolis ellipticis duplicato-glanduloso-serratis petiolisque aculeolatis, undique tomentosis. Wallr. An. bot. p. 61.

R. pomifera, germinibus globosis aculeatis, pedunculis hispidis, caule aculeis sparsis, petiolis aculeatis, foliis tomentosis. Gmel. fl. Bad. 2. p. 410. Röhling Deutschl. Fl. 2. Aufl. 2. p. 293. Borkh. Forstb. 2. p. 1315. n. 478.

R. pomo spinoso, folio hirsuto. Joh. Bauh. hist. 2. p. 58.

R. sylvestris pomifera major. C. Bauh. pin. 357.

Guimpel Abbild. deutsch. Holz. 15. Heft. t. 88.

Frutex 4 pedalis et altior, erectus, ramosus, ramis erectis brevibus. Aculei caulini rectiusculi, substipulares, saepius gemini. Petioli tomentosi, aculeati, glandulosi, connati stipulis utrinque tomentosis, glanduloso-ciliatis. Foliola quina, septena, elliptica, acuta vel obtusa, utrinque tomentosa, subtus glandulis inspersa, duplicato-serrata; serraturis secundariis rarissime glandulis terminatis. Pedunculi terminales, 1—6 corymbosi, bracteis tum communibus tum

foliolis ovatis supra glaberrimis, subtus pubescentibus subsimpliciter serratis; petiolis cauleque aculeatis.

R. collina, germinibus ovatis fere glabris, pedunculis petiolisque glandulose hirsutis, caule aculeato. Jacq. fl. austr. v. 2. t. 197. Lin. syst. veget. ed. Murray p. 474. Lin. sp. pl. ed. Willd. p. 1078. Pers. syn. pl. 2. p. 50. Borkh. Forstbot. 2. p. 1829. Schultes Oestr. Fl. 2. Aufl. 2. p. 75.

Germ. Hügelrose.

Gall. Rosier des collines.

Floret Junio.

Frutex circiter 3-pedalis, ramosus, aculeatus. Rami adultiores fuscescenti-virides, aculeis sparsis recurvis validis albidis muniti, ramuli juniores laete virides aculeati: aculeis rubentibus sparsis subincurvis, supremis frequentioribus fere rectis. Petioli pubescentes glandulis stipitatis obscure rubentibus copiosis praediti, subtus aculeati. Stipulae latae, lanceolatae, acutae, supra glabrae, subtus

ad marginem pubescentes, etiam glandulis ciliatae. Foliola septena quina, terna, ovata, basi cordata, supra glaberrima nitida, subtus opaca ex viridi subincana, pubescentia, praesertim ad nervum primarium glandulosum venasque, juniora flavescenti-viridia, adultiora atro-virentia, argute subsimpliciter serrata: serraturae glandulis sessilibus fuscis terminatae et subciliatae. Pedunculi plerumque terni, raro pauciores, corymbosi, glanduloso-hispidi. Pedunculus medius crassior, $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ pollicem longus, ebracteatus, laterales longiores et tenuiores, bracteis duabus propriis vestiti. Corymbus bracteis communibus suffultus. Bracteae ovato-lanceolatae, utrinque glabrae, margine glanduloso-ciliatae intermixtis pilis. Calycis tubus globoso-oviformis, glaber. Laciniae calycinae ovato-lanceolatae apice dilatatae, glanduloso-hispidae, limbo et intus villosae, appendiculatae: appendicibus lineari-lanceolatis, utrinque atte-

ad margines agrorum et prope Biebelrieth in sepibus crescit.

ad p. 58. Rosam spinosissimam pedunculis glanduloso-hispidis hoc anno frequentissimam ad marginem sylvae vitihoechheimensis detexi, ita, ut haec species, id quod auctores florae gallicae jamjam fecerunt, merito dividatur in duas varietates: nimirum in rosam spinosissimam pedunculis glabris et in rosam spinosissimam pedunculis glanduloso-hispidis. Iidem auctores praeterea varietatem rosae spinosissimae caule inermi, de qua p. 66. locutus sum, distinquunt.

Huc pertinent etiam rosa spinosissima Schultes. Oestr. Fl. 2. Aufl. 2. p. 68. n. 1841. et Rosier pimprenelle fl. franç. p. 438.

ad p. 71. Rosa canina Schultes Oestr. Fl. 2. p. 73. consideranda est tanquam forma, per quam rosa canina var. α. nostra transire videtur in rosam caninam var. β. nostram.

Observavi saepius rosam caninam variantem ramis flagelliformibus, longissimis (6—10 pedalibus), more rosae repentis prostratis, nec tamen radicantibus, petalis primo pallide rosei, demum albis,

ad pag. 79. Rosa affinis quoque prope Wirceburgum non raro crescit.

ad pag. 85. Ad rosam dumetorum referenda est Rosa canina γ. fl. franç. p. 447.

ad p. 90. Definitio rosae incanae Kitaibel, quae in flora austriaca a cel. Dr. Schultes edita 2. p. 70. haec est: „Die eiförmigen Fruchtknoten und Blumenstiele unbehaart, die Stacheln am Stamme zurükgebogen; die Blattstiele fast unbewehrt, und wie die Blättchen, zottig filzig" cum rosa sepium nostra congruit; an revera eadem sit, contendere non audeo, eoquod descriptio completa rosae incanae mihi deest.

ad p. 94. Rosae albae addantur synonyma: Rosier blanc fl. franç. p. 447. Rosa alba Schultes Oestr. Fl. 2. p. 76.

ad p. 98. Rosam geminatam hac aestate non solum in monte Schwabenberg vivam observavi, sed etiam in caeduo prope Zell frequentissimam detexi. Quo loco haec species variat calycis tubo tum glabro, tum plane glanduloso-hispido, et ramis flagelliformibus, prostratis, non raro 5-pedalibus, e quorum latere superiore ingens ramulorum floriferorum sursum spectantium copia protruditur, ita, ut

ejusmodi specimina primo intuitu rosae repentis faciem prae se ferant. Caules omnes inferne inermes, laevissimi; adultiores superne aculeis raris solitariis aduncis muniti; juniores vero aculeis frequentibus recurvis sparsis validis, quibus minores tenuiores rectiusculi interserti sunt, obvallati. Ramuli floriferi aculeis confertis inaequalibus rectiusculis armati, cum pedunculis et calycis tubis glauco-rubri. Folia ovalia, basi cordata, subtus glaucescentia, praeter nervum primarium non glandulosa. Corolla ante et post anthesin alba, saepius apice macula pallide rosea adspersa. Styli villosi, distincti, fere longitudine staminum.

ad p. 112. Ad rosam pumilam pertinent Rosier de France var. γ. fl. Franç. p. 444. et Rosa pumila Schultes Oestr. Fl. p. 73.

ad p. 136. R. eglanteria Herm. Diss. de Rosa p. 21. est rosa rubiginosa var. parvifolia nostra.

ad p. 150. Addantur ad rosam villosam synonyma: Rosier velu fl. franç. p. 440. Rosa villosa Schultes Oestr. Fl. 2. p. 69. 70.

ad p. 157. Rosier églantier fl. franç. p. 457. est Rosa lutea nostra.

Index alphabeticus

nominum latinorum ſpecierum in hoc libello occurrentium cum synonymis.

Index alphabeticus

nominum germanicorum.

rinatis, glanduloso-dentatis. Styli breviusculi villosi praesertim sub stigmate. Petala ½ pollicem longa, ¾ pollicem lata, obcordata, emarginata, pallide rosea venis obscurioribus unque albido, calycem parum superantia. Fructus secundum observationes Jacquini oviformis, nitidissimus, glaber, ruber cum carne aurantiaca a fructu rosae caninae non distinquendus.

Prope Wirceburgum in via, qua itur versus Gerbrunn.

Diversa a rosa canina

1) pedunculis glanduloso-hispidis;

2) foliolis subtus pubescentibus.

De discrimine, quod intercedit rosam collinam Jacquini, rosam dumetorum et albam, quae maxima inter se conjunguntur affinitate, conferas annotationes earum descriptionibus annexas.

Addenda.

Cum menses Junius et Julius hujus anni prius, quam hic libellus typis impressus erat, praeterlapsi sunt, meas de rosis observationes augendi, tempus et occasionem nactus sum. Interea aliquot etiam libros, qui de hoc plantarum genere tractant, accepi. Liceat itaque mihi, ut, id quod de rosis hac aestate observavi, et aliquot adhuc synonyma hoc loco addam.

ad p. 40. Rosam repentem primus distinxit a rosa canina Hallerus (Enum. plant. Helv. p. 349. n. 6.) ob florem album, monuitque, calycem saepe laciniis simplicibus fieri, et semper minus profunde sectis. Certiorem caracterem specificum in stylis detexit la Chenal in specimine medico inaugurali observationum botanicarum. Basil. 1759. defenso. §. 24., cujus vestigia postea ipse Hallerus (Hist. stirp. Helv. n. 1102.) aliique botanici secuti sunt.

ad p. 51. Rosa turbinata, ut hac aestate ipse observavi, etiam prope Wirceburgum

Corrigenda.

pag. 5 linea 11 loco „prabet,, lege „praebet,,

— 9 — 22 — „conjugo,, — „conjungo,,

— 16 — 20 — „colore (quo supra tincta, foliola discolora),, lege „colore, quo supra tincta," (foliola discolora),,

— 23 — 15 — „foliolorum,, lege „foliorum,,

— 25 — 12 — „sicque forma,, lege „sicque oritur forma.,,

— 26 — 14 — „villosi, singuli,, lege „villosi, rarissime glabri, singuli,,

— 40 — 10 post vocabulum „flagelliformibus,, adde „aculeatis,,

— 46 — 9 loco „quamadmodum,, lege quemadmodum,,

— 48 — 10 — „Tubo calycis turbinata,, „lege „Tubo calycis turbinato,,

— 70 — 7 — „1—4 umbellati,, lege „1—3 umbellati,,

— 82 — 6 — „unque - albo,, — „unque albo,,

— 83 — 17 — „lures,, — „plures,,

Corrigenda.

pag. 116 lin. 7 loco „holoserico-micante, lege „holosericeo micante.

— 121 — 8 — „Houttouyn„ lege „Houttuyn„

— 128 — 10 — „Pedunculis„ — „Pedunculi„

— 129 — 17 — „glanduloso-hispida, lege „glanduloso-hispido„

— 141 — 22 — ramosisissimus„ lege „ramosissimus„

— 156 — 5 deleatur vocabulum „appendiculatae„